UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

De Absolutione ab hæresi, & aliis delictis pertinentibus ad S. Inquisitionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

*lib.*1. *cap.*4. *num.*18. quia talia verba non ſunt perfecta. Nec valet dicere quod affectus cum principio facti æquiparatur facto, ex *l. Si quis ſervo alieno, ff. de furt.* At proferens dicta verba ſatis oſtendit affectum, & principium facti blaſphemandi. Ergo. Nam reſpondeo in hoc argumento aſſumi illud de quo eſt quæſtio; non enim eſt verum quod conſtet de affectu, cum ille colligi nequeat, niſi ex ſermone, qui cum in verbis prædictis non ſit perfectus, incivile eſt illa judicare, ex *l. incivile, ff. de legibus.* Et huic ſententiæ Ricciulli ego adhæreo.

3. Non aſſentior tamen eidem Ricciullo aſſerenti *in cap.*11. *num.*7. qui eodem impetu, & actu plures blaſphemias contra unum Sanctum profert, committere tot peccata quot ſunt blaſphemiæ, non inquam aſſentior huic opinioni: ſed contrariæ, quia moraliter cenſetur unus numero actus, & omnes blaſphemiæ ſunt partes unius continuati ſermonis, & ita ſi quis alterum ſemel & iterum pugno percuteret abſque temporis intervallo unum numero tantùm peccatum patraret. Et hoc intelligendum eſt etiamſi blaſphemiæ diverſi generis ſint, & non ſint una & eadem ſæpiùs repetita; nam etiamſi diverſi generis ſint, tamen ratione temporis & unius impetus quo dicuntur, uniuntur & una cenſentur. Et ita docet Fagundez *in Decalogum, tom.*1. *lib.*2. *cap.*3. *n.*24. & alij penes ipſum; quibus adde me citato Trullench. etiam *in Decalog. tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *dub.*2. *n.*5.

4. Item non aſſentior eidem Ricciullo qui *in cap.*6. *num.*11. docet jurantem per membra honeſta Chriſti eſſe blaſphemum, nam hoc eſſet verum ſi juraret per membra inhoneſta, ſecus per alia membra; quia ſic ex his nil attribuitur Chriſto quod verè non habeat, & ei conveniat, & ſi talia juramenta ita reverenter fiant, non eſſe culpam venialem docet Fagundez *loco citato, numer.* 14. unde nec frequens conſuetudo facit ut talia juramenta blaſphemiæ cenſeantur, aut peccatum mortale.

---

## RESOL. XII.

*An in blaſphemiis contra Deum, & Sanctos, detur parvitas materiæ?*

*Et notatur, quod convitium in Sanctos, non ut Sancti ſunt, ſed ex alio capite poteſt eſſe peccatum veniale ex parvitate materiæ, ut ſi quis per jocum diceret Sanctum Criſpinum & Criſpinianum fuiſſe ſutores, & Sanctum Ioannem, & Paulum fuiſſe Eunuchos.*

*Et quid, ſi per hyperbolem fœminam vocat Deam?* Ex p.5. tr.5. Reſ.3.

§.1. RESpondeo negativè, quia omnis blaſphemia notabiliter adverſatur virtuti Religionis, & charitatis erga Deum. ergo omnis blaſphemia erit peccatum mortale. Secundò blaſphemia gravem infert Deo injuriam, ejúſque honorem & cultum valde diminuit, nam ſi gravis & atrox injuria dicitur eſſe illa, quæ infertur à vili perſona Magiſtratui, vel Senatori in illos maledicta proferendo, §. *atrox. Inſtit. de injur & l. prætor*, §. *atrocem, ff. eodem.* quanto magis erit gravis illa injuria, quæ infertur Deo per blaſphemiam? ergo ratione materiæ non poteſt eſſe niſi peccatum mortale. Deinde blaſphemia eſt peccatum, quia profertur verbum contumelioſum in Deum cum animo dehonorandi Deum, vel directè, vel indirectè, ſeu interpretativè, ſeu virtute, at Deus dehonoratur non ſolùm cùm blaſphemus Deo falſo tribuit res magnas, ſed etiam minimas: ergo blaſphemia non poterit ratione materiæ unquam eſſe peccatum veniale. Et ita docet Silvius *in* 2.2. *quæſt.*13. *art.*2. & *ibidem* Aragon. & Bañez. Hurtado de Mendoza *de fide vol.*1. *diſp.*91. *ſect.*11. §.48. Valentia *tom.*3. *diſp.*1. *quæſt.*13. *punct.*1. Cajetanus *in ſum. ver. blaſphemia*. Suarez *de Relig. to.*1. *tract.*3. *lib.*1. *cap.*6. *num.*2. Sayrus *ubi infrà*, cum Iacobo Gordono *in ſumm. tom.*2. *lib.*6. *quæſt.*8. *cap.*2. *num.*4. & aliis.

2. Verùm his non obſtantibus affirmativam ſententiam docet Villalobos *in ſumma tom.*2. *tract.*1. *diffic.*15. *num.*5. ubi ſic ait. [ Digo que la blasfemia es pecado mortal de ſu naturaleza, porque es contra la honra de Dios, verdad es, que por no aver llena deliberacion o por inadvertencia podria ſer pecado venial, como dize S. Thomas, Caietano, y Sylveſtro; mas la duda es, ſi ay aqui pecado venial por paruidad de materia? Bañez y otros dizen, que no por ſer coſa graviſſima la honra; mas à mi pareceme lo contrario, que aſſi como todos los pecados ſon offenſa de Dios, y no obſtante eſſo ay pecados veniales, porque ſon leves offenſas, aſſi aqui, y tal me parece, quando algunas vezes ſe traen palabras de la ſacrada Eſcritura à propoſito de burlas con poca reverencia; y lo miſmo quando un organiſta que ſabe muy poco en una aldea tañe en lugar de Kyrie, una vacas, ò un ſonezito ( porque no ſe le alcança mas ) al, Ite Miſſa eſt de la Paſcua. ] Ita ille.

3. Et nota quòd ſtando etiam in prima ſententia convitium in Sanctos, non ut Sancti ſunt, ſed ex alio reſpectu, poteſt eſſe peccatum veniale ex parvitate materiæ, ut ſi quis per jocum diceret, Sanctos Criſpinum & Criſpinianum fuiſſe ſutores, & Sanctos Ioannem & Paulum fuiſſe Eunuchos. Et ita docet Duvallius *in* 2. 2. *D. Th. tract. de fide q.*9. *art.*2. Sanctarellus *tract. de blaſphemia cap.*4. *dub.*2. *n.*8. Sayrus *in Clavi Regia lib.*6. *cap.*13. *n.*5. Sylvius *in* 2.2. *quæſt.*13. *art.*2. & *ibi* Bañez, Aragon. Sanchez *in ſumma tom.*1. *lib.*2. *cap.*32. *num.*42. & alij. Sed hanc opinionem non admittit Lorca *in* 2.2. *q.*13. *art.*2. *n.*9. ubi ſic ait: Eſt blaſphemia ita gravè peccatum, ut non poſſit fieri veniale, niſi ſolùm ex defectu deliberationis. Nam quod aliqui dicunt poſſe fieri veniale, ſi non ſeriò, ſed joco proferatur, non approbo, quoniam illicitus eſt jocus, in quo injuria Dei involvitur, nec propter jocum deficit ratio injuriæ, imò jocari in rebus tanti momenti, ſpecialis blaſphemia eſt, niſi quis vocet jocum, quod non ex animo ſignificandi, quod verba ſonant, profertur, ſcilicet ſi per hyperbolem, ut qui fœminam vocat Deum, id enim veniale erit. Vnde puto ſaltem quoad hoc ultimum utramque ſententiam probabilem eſſe.

Quoad hoc inf. in tr. 12. ex Reſ. 8. lege doctr. §. ult.

Sup. hoc in Reſ. ſeq.

---

## RESOL. XIII.

*An qui vocat Amaſiam Deam, vel Idolum ſuum, ſit blaſphemus?* Ex part. 5. tractatu 13. & Miſcell. 1. Reſ. 20.

§.1. QVidam Confeſſarius ſcrupuloſus, & parum ſciens, affirmativam ſententiam olim docuit. Sed talem non eſſe blaſphemiam dicendum eſt. Et ratio erit, quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed in hyperbolica. Et ita docet Lorca *in* 2.2. *q.*13. *art.*3. *n.*9. & Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.*91. *ſect.*4. §.16.

Sup. hoc cum eodem Lorca, curſim in fin. Reſ. præteritæ.

## DE ABSOLVTIONE AB HÆreſi, & aliis delictis pertinentibus ad S. Inquiſitionem.

---

## RESOL. XIV.

*An Epiſcopus poſſit committere abſolutionem ab hæreſi,*

*ſaltem*

*ſaltem in caſu particulari, & ſpeciali?* Ex p.3.tr.6. & Miſc.2. Reſ.92.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. pen. & in Reſ. 1. poſt ſeq. §. Nota tertio.& melius & magis latè in to. 3. tr.3. Reſ.15. à lin.1 & lege ibi doctr. Reſ. 16.

§.1. SVppoſito quòd ſit opinio probabilis,licèt contrariam ſententiam ego teneam in Bulla Cœnæ non revocari Epiſcopis facultatem abſoluendi ab hæreſi conceſſam in Concilio Tridentino; quæritur an hæc facultas ſit ab Epiſcopis delegabilis, ita ut per alium ab ipſis deputatum poſſint hæreticum occultum abſoluere? Negativè reſpondet Lorca *in 2. 2. diſp.45. num.* 11. Gutierrez *in qq. canon. lib.1. cap.13. num.29.* Garſias *de beneficiis,part.11. cap.10.num.113* Molina *de juſt.tract.5. diſp.18. num.2.* Suarez *de fide, diſp.30. ſect.2.n.9.&* 15.& alij.

2. Verùm alij probabiliter affirmativam ſententiam, tenent, ut Azórius *tom.1.lib.8. cap.10 quæſ.11.* Henriquez *lib.6.cap.14. num.7.* Emanuel Sà *ver. Epiſcopus, num.37.* Sanchez *in ſumma, tom.1. lib.2. cap.11. num.23.*& alij penes ipſos,quia Concilium ſolum excluſit Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, quod intelligendum eſt de vicario ſpecialiter deputato ad caſus omnes hæreſis contingentes, non autem de Vicario ſpecialiter deputato ad unicum caſum hîc, & nunc oblatum. Igitur dicendum eſt,quò per verba Concilij, Vicarius generalis excluditur,non autem ſpecialis, ut eſt in caſu de quo loquimur. Et hæc doctrina eſt multum notanda,quia ſi Epiſcopus hanc facultatem in caſu particulari ſpecialiter delegare non poſſet, difficulter in praxi talis poteſtas deſeruiret;nam non ita facilè,& ſine ſcandalo pœnitentes,& præſertim fœminæ, pro abſolutione hæreſis occulta ad Epiſcopos irent.

## RESOL. XV.

*An Epiſcopi poſſint abſoluere ab hæreſi occulta vigore Concilij Trid.*

*Et an ſi hæreſis nota ſit quinque, vel ſex; vel ſi Hæreticus quinque,vel ſex complices habeat,adhuc dicatur occulta; & in magna Civitate non ſit publica, ſi nota fuerit ſeptem, vel octo perſonis?*

*Et an dictam abſolutionem poſſit Epiſcopus impertiri extra Sacramentum Confeſſionis, & in abſentia; & hoc etiam ſi talis ſubditus, & Epiſcopus ſint extra Diœceſim?*

*Et an Epiſcopus poſſit committere hanc abſolutionem alicui Confeſſario, ſpecialiter ad eum hæreſis caſum deputato?* Ex p 1.tr.5 Reſ.2.

Sup. hoc inf. in Reſ. 16. & 18. in fin. & in Reſ. 30 §. ult. ante med. & in Reſ.31. §. 1. ante med. & in to.9. tr.7. Reſ. 117. §. Nec obſtat dicere, quod Bulla Cænæ. ante med. verſ. Vide me ipſum.

§.1. REſpondeo,aliquos aſſeruere,Epiſcopos vigore Concil.Trident.*ſeſſ.24.cap.6.* poſſe abſoluere Hæreticos occultos,nec per ſubſequentes Bullas Cœne fuiſſe illis hanc poteſtatem ſublatam. Ita docet noviſſimè Puteanus *in 2.2.q.11.art.4. dub.2.* Fagundez *de Præcept. Eccleſ.tract.2 lib.8.cap.8. num.32.& 33.* Portell. *in addit.ad dubia regul.verb.Epiſcopus,num.1.* Souſa *in Bulla Cœnæ, cap.23. diſp 100. concl.3. num.7.* & anteà docuerat Lorca *in 2.2. quæſt.11. art.4. diſp.45. num.10.* Nugnus *tom.2.in addit.ad 3.part.quæſt 8.art.5. dub.10.in fine* Ledeſma *in ſumma,tom.2. tract.1. cap.6. concl.20.diff.7.* Emmanuel Sà *verb. Epiſc.n.37.* Henriquez *lib.6.cap.14 num.4. & in Gloſſa litt.M, & lib.13. cap.27. num.5. litt. Q.* cum multis aliis citatis à Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.2. cap.11. num.27.* Ricciullo *tract. de jure perſon. lib.5.cap.14. num.9.*& Barboſa *de poteſt. Epiſc.p.2. alleg.40. num.21.* & hanc ſententiam probabilē vocat noviſſimè Sanc. *in ſelect.diſp.50.n.32.*

2. Sed, his non obſtantibus, Sanchez, Ricciulus, & Barboſa, cum multis aliis penes ipſos, contrariam ſententiam docent, quibus ego addo Riccium *par.3. deciſ.280.num.1.* Villalobos *in ſumma,p.1. tr.9. dub.61. num.2.& 5.* Gratianum *in diſcept.tom.3. cap.414. n.20.* Bellochium *de caſ.reſervat. p.2.q.1. n.275.* Sanctarellum,qui poſt hæc ſcripta prodiit in lucem, *tract. de hæreſi,c.5. dub.5. n. 21.* Ragucium *in lucerna Parochorum, q.125.n.5.* Scortiam *in Conſtit. Pont.epit.166.theor.431.* Novarium *in ſingul.concl.3.num 5.* Sylvium *in 2.2.q.11. art.3.quæritur 2.in fin.* Fabrum *de Sacram.Ordin.diſt.25. quæſt.1.diſp.3. cap.4. num.126.* Homobonum *de exam. Eccleſ.part.2.tract.12.cap.4.q.16.& de ſtat.part.1.cap.8.* Antonucium *in Catech.Diœceſ.Neapol.lib.1.cap.25.n.9.* Megalam *in part.1. lib.1. cap.13.num.10.& 15.* Floronum *de caſ.reſeru.part.1.c.4.§.22. num.2. & 4.* Torreblancam *de magia, lib. 3. cap.10. num.17.* Valerum *in differ. utriuſque fori, verb. hæreſis, diff. 5. num. 1.* Hi omnes putant, Bullam Cœnæ derogare, & adimere ſupradictam poteſtatem Epiſcopis; & adducunt multos alios DD.

3. Verùm, qui ſuſtinent primam ſententiam, in favorem Epiſcoporum, ſic illam firmant: quia in Bulla Cœnæ non fit expreſſa mentio Concil. Trident. quod quidem eſt neceſſarium, ut cenſeatur illi derogatum: quia Conſtitutioni, ſeu decreto Concilij propter ejus gravitatem non intelligitur derogatum, niſi de eo fiat mentio ſpecialis. *cap.ex part.de Capell. Monach.* ibíque Gloſſa *in verb.nulla mentio,cap. nonnulli,de reſcript.* ubi etiam Gloſſa *in verb. fecerunt mentionem.*& ibi Felinus *n.7.* cum multis aliis.

4. Nec valet dicere, Pium V. & Gregor. XIII. cum Clemente VIII. contrarium declaraſſe: nam, ut benè reſpondent Fagundez, *ubi ſuprà*,& Souſa, de illis pontificiis declarationibus non conſtat authenticè:& cùm res ſit adeò gravis,& jam ſcientibus Pontificibus controverſa, id profectò deberent expreſſiùs,aliquo ſpeciali decreto,declarare. Vnde ſubdit Fagundez, ſtando in hac opinione, quòd ſi hæreſis ſit nota quinque, vel ſex, etſi Hæriticus quinque vel ſex complices habeat;adhuc diceretur occulta, & ab illa Epiſcopi poterunt abſoluere. Putat etiam, in magna civitate non eſſe publicam,ſi nota fuerit ſeptem,vel octo perſonis. Vide Portel. *in addit. ad dubia regular.verb. diſpenſare, num.5.*

Sup. his in Reſ. ſeq. §. 2. in fin. & de cōplice ibi. paulò ante fin. & in fin. &c.

5. Notandum eſt etiam,ſecundùm ſupradictos DD. in tali caſu Epiſcopum poſſe committere abſolutionem alicui Confeſſario ſpecialiter ad eum hæreſis caſum deputato,ut adversùs Suarez *tom.4.diſp.30.ſect.2. num.9.& 15.*& alios,probat Henriquez *lib.6. cap.14. n.7.& in Gloſſa,littera O.* cum multis aliis apud Sanch. *tom.1. lib.2. c.11. n.23.* & probabile vocat Lorca *2.2. q.11. artic.4.diſp.35.num.11.*

Sup. confero in hoc §. in Reſ. præcedenti, & in Reſ. ſeq. §. Nota tertio. &c.

6. Notandum eſt etiam,dictam abſolutionem poſſe Epiſcopum impertiri extra Sacrament. Confeſſionis: nam per illam particulam, *in foro conſcientiæ*, non intelligitur forum ſacramentale, audita ſacramentali Confeſſione; ſed tantùm denotatur, ut abſolutio in foro externo non proſit, ſi contingat hæreſim in judicium deduci. Ita Homobonus *de exam.Eccleſ.part.1.tract.5. c.5.q.31.* Claudius Soleri *de poteſtate Confeſſ.cap.30.§. 1.ex verbis,n.6.* præter illos,quos citat,& ſequitur Sanchez *cap.11. n.13.* qui etiam *n.17.* & rectè, ait, poſſe Epiſcopum in tali caſu abſoluere ſubditum ab hæreſi in abſentia:& hoc,etiamſi talis ſubditus ſit extra Diœceſim,quidquid in contrairum aſſerat Suarez *in 3.part. tom.5.diſp.41.ſect.2.num.10.& 11.*& etiamſi ipſe Epiſcopus cum ſubdito extra Diœceſim inveniretur;poſſet tunc vtique illum ab hæreſis excommunicatione abſoluere. Et hæc omnia aſſerunt Doctores pro firmanda opinione in favorem Epiſcoporum: ſed ego contrariam exiſtimo probabiliorem, & ideò illam ſequor.

## RESOL. XVI.

*An Epiſcopi hodie poſſint abſoluere ab hæreſi occulta?*

*Et an quando ſcitur à decem perſonis dicatur delictum occultum?*

Et

DIANÆ omnia TO. II. IV V E. III

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Et an Epiſcopi nullo modo poßint in tali caſu hanc abſolutionem ab hæreſi committere alteri perſonæ?*

*Et notatur poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ab hæreſi occulta proveniente ademptam eſſe ab Epiſcopis per Bullam Cœnæ.* Ex part. 4. tractat. 4. & Miſc. Reſ.239.

Sup. hoc in Reſ.præterita & inf. in Reſ. 18. in fin. & in Reſ.30.§.ult. ad med.& in Reſ.31. §.1. ante med. verſ.Tertio, quia, & in tom.9. tr. 7. Reſ. 117. §. Nec obſtat dicere quod Bulla Cœnę.

§.1. AFfirmativam ſententiam docet noviſſimè Iacobus Granado *in 2.2.D.Thomæ,contr.1.tract. 15.diſp.14.ſect.2.num.8. & ſeq.* ubi ſic aſſerit:Supereſt potiſſima difficulas, an ſcilicet iſta facultas Epiſcòpo conceſſa à Tridentino, revocata ſit à Summo Pontifice? Partem affirmantem ſequuntur Navarrus *in ſumma cap.27.num.275.* Molina *ſuprà* relatus, Suarez *in illa ſect.4.num.12. & 13.* ubi refert, ſe ipſum *in 4. tom.3.part...* idem aſſerentem, Garſia *de benef.part.11. cap.10.num.115.* dicens,id eſſe indubitatum. Sanchez *in illo cap. 1. num. ult.* concludens, hoc omnino eſſe tenendum,& multi alij, quos iſti Doctores referunt. Probatur primò,quia in Bulla Cœnæ etiam noviſſimè edita à Gregorio XV.perſpicuis diſertiſque verbis negatur facultas abſoluendi à caſibus illius, ac proinde ab hæreſi etiam virtute clauſulæ Concilij Generalis, licèt in illa in genere, vel in ſpecie oppoſitum conceſſum fuerit;ergo licèt Tridentinum conceſſerit Epiſcopis hanc facultatem, fuit & eſt modò revocata. Secundò probatur, quia graviſſimi Doctores teſtantur à Summis Pontificibus eſſe revocatum; Navarrus enim ait, ſic declaraſſe Pium V. Gregorium XIII. Azorius *lib.8. inſtit. moral. cap.10. quæſ. 10.* teſtatur, ſe audiviſſe à viro Religioſo, docto, & fide digno ſic declaraſſe Clementem VIII. Tertiò probatur, quia in Generalis Inquiſitionis Prætorio Romano ſæpè pronuntiatum eſt, non poſſe Epiſcopos jam abſoluere ab hæreſi occulta.Quartò tandem,quia duo ſunt reſponſa Congregationis Cardinalium, quarum meminit Suarez *ſuprà*, in quibus declaratur, facultatem Tridentini Epiſcopis ablatam fuiſſe. Nihilominus valdè probabile eſt, adhuc perſeverare poteſtatem à Tridentino conceſſam Epiſcopis. Sic ſentiunt Navarrus *lib.1. conſil.tit.de conſtit. conſil.1.quæſt. ult.* Simancas *de Cathol.inſtit. tit.3. num.6.* Henriquez *lib.6.de pœnit. c.14. num.7.* Bañez *ad art.4. quæſt.11. dub.2. poſt. 2. concluſ.* Sà *verbo Epiſcopus, num.37.*Lorca *diſp.45.*Guttierrez *lib.1. quæſt. can. cap.13. ad fin. in poſteriori editione*, & multi alij; Sanchézque tandem fatetur, rationes pro hac ſententia vrgere, & authoritate Doctorum reddi videri probabiliſſimam. Probatur hæc ſententia, quia, ut *ſuprà* argumentabamur, vitanda eſt correctio juris, quoad ſine incommodo fieri poterit, & id præſertim locum habet comparatione Concilij Tridentini, cujus decreta tanti æſtimarunt Summi Pontifices,qui poſt illud Eccleſiam gubernarunt, & quod in viridi obſervantia ſemper eſſe tantopere cupiunt. Cùm ergo tam diſertè Concil. Trident. faciat Epiſcopis poteſtatem abſoluendi ab hæreſi occulta,& cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, non eſt credendum, eam facultatem fuiſſe revocatam virtute Bullæ Cœnæ poſtea promulgatæ, ſi cum iſta conciliari poſſit;quòd autem rectè conciliari poſſit, facilè oſtenditur.Primò, quia ſic ſentiunt tot graves Doctores, quorum in explicando jure magna authoritas eſt. Secundò, quia rectè dici poteſt, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum,quando publica ſunt,& ideò non derogare facultati Tridentini,in qua de occultis criminibus ſermo eſt.Ex quo patet reſponſio ad primum contrariæ ſententiæ. Ad ſecundũ reſpondetur, nullibi afferri à prædictis Authoribus teſtimonium authenticum talis revocationis,aut declarationis,& cùm aliunde tam perſpicuè conſtet de facultate Tridentini, non cogimur credere, eam eſſe revocatam. Ad tertium reſpondetur, id pronuntiatum eſſe in hoc graviſſimo, & ſanctiſſimo Tribunali ſecundùm oppoſitam ſententiam, quæ probabiliſſima eſt;ſed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti licitum eſt contrariam reputare etiam valde probabilem,ſicut & multi alij reputarunt.Ad quartum ſimiliter dicendum eſt, reſponſa Cardinalſum eſſe magnæ authoritatis,ſed non ſufficere ad tollendam contrariæ ſententiæ probabilitatem; & hæc omnia ad verbum docet Granado *ubi ſuprà.* vide etiam Fernandez *in exam.Rect.mor.part.4.cap.7.§.1.n.5.* Guttierrez *can.qq. lib.1. cap. 13. ad fin.* Gomez *in Bulla Cruciat. clauſ.10. num.44. in fine.* Bañez *in 2. 2. quæſt. 11. art. 4. dub. 2. poſt 2ª concl. argum.3. verſ. Et ſi quis objiciat.* Rodriquez *in qq. Regul. tom.1.q.20.art.10.*Vegam *in ſumma tom.2. cap.125. caſ.11.* Aragon. *in 2.2. quæſt.11. art.3.* Llamas *in ſumma part.3.cap.1.§. ult.in fine.*Zerolam *in praxi Epiſc. par.2. verbo Abſolutio §.8. & 18. & verſ. hæreticum*, §.4. & alios,quos ego ipſe citavi *in part.1. tract.5.reſol.2.*Sed ego *ibi* contrariæ ſententiæ adhæſi, aſſerenti dictam facultatem Epiſcopis eſſe per Bullam Cœnæ ſublatam,& ita ſentiunt plures Doctores,quos *ibi* citavi; quibus nunc addo Hurtadum *de excomm. diſput.15. difficul.3 num.11.* Fabrum *de ſacram. Ordin. diſt.25. quæſt. 1. diſp.3. cap. 4. num.126.* Duardum *in Bulla Cœnæ lib.3. §. 2. quæſt.11. num.47.* Coriolanum *de caſ.reſer.part.1.ſect.3.art.23. num. 6.* Bonacinam *in Bulla Cœnæ diſput. 1.quæſt.2.punct.2.num.7.in fine.* Acoſtam *in expoſit. Bull. Cruc. quæſt.58.* Gratianum *in diſcept.foren.tom.3. cap.414. num.12.*Armandariz *in addit. ad recopil. legum Navarræ lib.2. tit. 21. lege unica, de familiaribus Inquiſitorum num. 3. & 4.* Alzedum *in praxi Epiſc.part.2. cap.6. num.15.*Campanili *in diverſ. jur. can. rub.11. cap.26. num.55.* Farinacium *de hæreſi quæſt.192.§.4.num.53.*Bledam *in defenſione fidei in cauſa Moriſcorum,part.1. cap.13.*& alios penes ipſos, teſtantes de ſupradicta declaratione Gregorij, de qua etiam teſtatus eſt mihi Dominus meus Clemens Merlinus ſacræ Rotæ Auditor,vir non ſolùm legalis, ſed etiam politioris litteraturæ conſultiſſimus, & morum ſuavitate ornatiſſimus. Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd etiamſi ſtandum eſſet in prima ſententia, Emanuelem Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruc. §.9. num.69.*docere,facultatem datam Epiſcopis abſoluendi ab hæreſi, intelligendam tantùm,quando ipſe hæreticus ſolus abſque eo,quod ab alio audierit,committit occultè crimen hæreſis, manifeſtando illam aliquo actu exteriori,quamvis nemo eam audiat; deinde ſubdit illam facultatem non extendi ad hæreſim occultam,quando adeſt complex,nam aliàs, inquit,eſſet deſtruere machinam ſancti Officij, & denique reſoluit, Concilium *in præſenti* dictam dare facultatem abſoluendi ab obligatione denunciandi complicem, quam habet,aliàs eſt excommunicatus edicto ſancti Officij; ſed Granado *ubi ſuprà num.6.* putat,Epiſcopum vigore dicti Concilij Tridentini poſſe abſoluere hæreticum,etiamſi coram aliquo hæreſim protulerit, dummodo delictum ſit occultum, quod eſt, quando non ſcietur à majori parte,communitatis,quæ ſaltem conſtet decem perſonis, & ad id, quod docet Rodriquez *de denunciandis complicibus.* vide me ipſum *in part.1. tract.4.* * *reſol.9.*

Quæ hic eſt Reſ. antecedens.

Ibi in §. Sed his.& in Reſ. ſeq.& inf. in Reſ.36. §. Tertium, & in to 3. tr. 5. Reſ.21 §.ult. ad lin.3.& in tom.9. tr. 7. Reſ. 117. §. Nec obſtat dicere, quod Bulla Cœnæ. & ſi perlegis eam per tot. & ibi à lin. 5. Reſ. 118. doctrina repleberis, & facilius hanc difficultatẽ terminare poteris.

Sup. hoc cõplice in Reſ. præterita, §. Nec valet.in fine.

Sup. hoc in Reſ. citata in lin.ult. hujus §.

Sup. hoc in Reſ. præterita in fin. §. Nec valet. & in to. 3. tr. 3. Reſ. 19. &c.

*Quę hic eſt inf in tr 9. Reſ.16. & in aliis ejus primæ, & etiam ſecundæ annot.

2. Nota ſecundò,ex ſententia Granadi *num.5*, Epiſcopum abſolutionem ab hæreſi impendente poſſe iis, qui quomodolibet pertinent ad ſuam diœceſim, ſive quia ibi inveniuntur, tanquam Peregrini, ſive quia ipſe exiſtens extra diœceſim, vult alicui ſibi ſubdito, & in hæreſim lapſo, abſolutionis beneficium impendere.

3. Nota tertiò, cùm prædictam abſolutionem ab hæreſi non permittat Concilium Vicariis Epiſcoporum, Molina *de juſt. tract.5. diſp.18. num.1.* Garſias

Sup. hoc ſup. in Reſ. 14. & in Reſ. 15. §. penult. &

de

in to.3. tr. 3. Reſ.15. à lin 2. & lege doctr. Reſ. 16.

*de beneficiis tom. 2. part. 11. cap.10. num.113.* & alij exiſtimant, nullo modo poſſe ab Epiſcopo hanc abſolutionem ab hæreſi committi alteri perſonæ; ſed Iacobus Granado *loco citato num.7.* cum Sanchez *in ſumma tom.1. lib.2. cap.15. num.23.* & aliis tenent, quòd licèt Epiſcopus non poſſit hanc abſolutionem committere alteri, qui generaliter habeat facultatem abſolvendi ab hæreſi, poteſt tamen committere caſum particularem, cùm occurrerit, ita ut tunc ſpecialiter, & non generaliter tribuat vices ſuas. Verùm omnia ſupradicta non procedunt in noſtra ſententia aſſerente, hanc poteſtatem abſoluendi ab hæreſi eſſe per Bullam Cœnæ Epiſcopis ſublatam.

Sup. hoc in tom.3. tr.3. Reſ.32. & in aliis ejus annot. ſecundę.

4. Nota quartò, etiam poteſtatem diſpenſandi in irregularitate, & occulta hæreſi proveniente ademptam eſſe Epiſcopis per Bullam Cœnæ Domini docere Ricciullum *lib.5. cap.16. num.5.* & alios, licèt contrarium doceat Vgolinus *tract. de irregular. cap.36. num.5.* Sanchez *in ſumma tom.1. lib.2. cap.25. num.17.* quos alibi citavi; imò Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tr.5. de irregular. diſp.9. dub. unico, quæſt.4.* & probabiliter docet, ob peccatum hæreſis ſecundùm ſe ſecluſa infamia non incurri irregularitatem, ſed vide *ſuprà, in tract. de irregul.*

Sup. hoc quod hic docetur, in Reſ. not. præteritæ, cum eodē Cornejo hic citato, & in aliis ejus not.

## RESOL. XVII.

*An ſaltem per Bullam Cœnæ ſit Epiſcopis revocata facultas abſoluendi ab hæreſi, & aliis caſibus in ea contentis?*

*Et ſi Epiſcopus ſequens affirmativam ſententiam, & opinionem nolit abſoluere Hæreticum ocultum, quid eſt faciendum?* Ex p.7. tract.2. Reſ.23.

Sup hoc ſup. in Reſ.15. §. Sed his. in fin. & in Reſ. 16. §.1. inter med. & fin. à verſ. Sed ego ibi. & inf. in Reſ. 36 §. Tertiū. & in tom.3. tr.5 Reſ.21. §.ult. ad lin. 3. & in to 9. tr 7. Reſ.117. Nec obſtat dicere, quod Bulla Cœnę. & ſi legis eā per tot. & ibi à lin.5. Reſ. 118. facilius hanc quæſt. diſſolues.

§.1. NEgativè reſpondent Doctores, quos citat, & ſequitur Boſſius *de Iubileo ſect. 1. caſ.10. §.2. n.10. & ſeq.* Probatur hæc opinio, quia correctio juris vitanda eſt, quoad fieri poſſit, ſed abſque correctione juris Trident. ſtare poteſt clauſula Bullæ revocans facultates, quibus abſolutio impendi poterat. Ergo affirmandum eſt clauſulam Bullæ ſupradictam Trident. facultatē non revocare. Minorem probo. Primò, quia Bulla ſolùm dicit, ut nullus poſſit abſolui prætextu quorumcunque privilegiorum, quæ Epiſcopis, Conventibus, & aliis conceſſa ſint per ſedem Apoſtolicam: at qui ab Epiſcopis abſolui intendit, non intendit abſolui prætextu alicujus privilegij à Sede Apoſtolica conceſſi, ut dicit Bañez, ſed prætextu authoritatis à Chriſto Domino datæ. Ergo. Secundò, quia Bulla optimè poteſt intelligi de peccatis publicis, & de abſolutione, quæ non ſolùm pro foro conſcientiæ, ſed etiam externo proſit; ſiquidem nihil in Bulla habetur, quod cogat nos de peccatis occultis, & de foro conſcientiæ revocationem intelligere. Senſus ergo Bullæ eſt, ut nullus poſſit abſolui; abſolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu privilegiorum, &c. Quòd ſi hoc modo intelligatur, manet integrum Trident. Decretum. Nam Trid. concedit ſolùm abſolutionem caſus occulti, & pro foro conſcientiæ. Ergo ſi Bulla revocat caſus publicos, & abſolutionem proficientem in foro externo; non immutat, nec corrigit Decretū Trid. Ergo hæc explicatio ſuſtinenda eſt, ut Iuris correctio vitetur. Tertiò, lex generalis præcipuè correctoria, etiamſi poſterior ſit, limitanda eſt ex ſpeciali antecedenti. Ergo hæc lex correctoria Bullæ, quæ generalis eſt, limitari, & coarctari debet per ſpecialem Trident. Quartò, non obſtante clauſula revocatoria Bullæ Cœnæ manet integrum privilegium in Cruciata conceſſum pœnitentibus, ut ſemel in vita poſſint abſolui à quolibet Confeſſario approbato, à quibuſvis peccatis, & cenſuris, &c. Ergo etiam poterit integrum manere privilegium Epiſcopis conceſſum Trid. non obſtante revocatoria clauſula. Quintum fundamentum eſt, quia non eſt evidens Bullam Cœnæ ſupradictam facultatem revocare, ut ex ſupradictis conſtat; ſed abſque revocationis evidentia nemo tenetur ſe jure proprio ſpoliare. Ergo non debent Epiſcopi ſe reputare ſpoliatos hac facultate abſoluendi abſque clariori notitia. Quod ſi dicas conſtare evidenter eſſe revocatam hanc facultatem Epiſcopis, non ex verbis Bullæ præciſè, ſed ex illis juncta Pontificum declaratione. Reſpondere poſſumus de declaratione nobis authenticè non conſtare. Nam ſi plures Doctores eam firment, ex fama, & opinione loquuntur. Item indigebat talis declaratio ſpeciali promulgatione, ut vim legis revocantis haberet, aliàs nos arctare non poteſt.

2. Et ideo Boſſius *ubi ſuprà, num.19.* ſic ait: Ex quibus manifeſtè apparet non eſſe audaces, neque temerarios modernos hanc ſententiam tenentes, cùm ſit æquè probabilis, ac prior, ſive attendas authoritatem, & numerum Doctorum; ſive inſpicias multiplicitatem & firmitatem rationum. Ita Boſſius.

3. Sed ego mordicus contrariam ſententiam ſæpiùs docui, & nunc iterum doceo quam me citato tenent Trullench *in Decalogum tom.1. lib.1. cap.3. dub.4. n.11.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.1. part.9. difficult.9. per totam.* Idem docet Caſpenſis *in Curſu Theolog. to.2. tract.15. diſp.5. ſect.6. num.38* & alij à me alibi ad ſatietatem adducti; Et ratio eſt clara, quia in Bulla Cœnæ adeſt clauſula derogatoria. Non obſtantibus &c. quæ licèt ſit generalis, ſufficit tamen ad derogandum Concilium, quæ doctrina indubitata eſt, ubi derogatio nova Pontificia nequit verificari, niſi tali Concilio derogato: tunc enim derogatio illa generalis cenſetur ſpecifica, & individua, *l.2. ff. de liberis, & poſthumis.* Secùs illa derogatio eſſet futilis, & ſuperflua. Quemadmodum videre eſt in caſu noſtro, in quo ſi Pontifex illis verbis: Ac per cujuſvis Concilij decreta, non derogavit Tridentino, rogo, cui alteri Concilio fuit per iſta verba derogatum? Certè non provincialibus, ut aliqui neoterici minùs rectè interpretantur: tum, quia nomine cujuſvis Concilij non veniunt ſola provincialia, cùm præter iſta ſunt generalia: tum, quia nullum eſt aſſignabile provinciale Concilium, quod Epiſcopis tribueret facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta, vel ab aliis Bullæ Cœnæ caſibus: tum, quia Pontifex Decreta Trident. Concil. gerit in pectore; nec eſt veriſimile, ipſum ignorare hoc decretum, quod ſingulis Prælatis eſt notiſſimum: tum quia derogatio pendet à voluntate Pontificis, qualitercunque de ea conſtet: ergo derogando Decretis cujuſvis Concilij, neceſſariò fatendum eſt, ſatis conſtare de mente Pontificis revocantis hanc facultatem abſoluendi ab Hæreſi occulta, & præſertim accedentibus tot vivæ vocis oraculis, & Sacræ Congregationis reſponſis, à me, & ab omnibus Doctoribus relatis.

Alibi in ſolutionibus annot. præteritæ.

4. Neque his obſtant allegati text. *in cap. Ex parte, cap. Nonnulli. & cap. eam te, de Capellis Monach.* Nam reſpondemus, allegatos textus procedere, ubi nulla mentio Conciliorum neque in genere, neque in ſpecie, neque per verba æquipollentia facta fuit. At in caſu noſtro fieri expreſſam mentionem derogationis cujuſvis Concilij, quæ nequit verificari, niſi ipſo Tridentino derogato.

5. Notandum eſt hîc obiter, ſi Epiſcopus ſequens noſtram ſententiam, nolit abſoluere hæreticum occultum, quid faciendum? reſpondent aliqui, quòd ſi periculum ſit infamiæ, vel ſcandali, ſi Sacerdos ſit niſi celebret; vel Laicus, niſi communicet; poteſt indirectè abſolui ab hæreſi, & directè ab aliis peccatis à quocumque confeſſario: & idem dicendum, ſi ob paupertatem, vel aliud impedimentum, non poſſit Romam adire,

Sup. hoc in Reſ. in aliis annot.

Sup. hoc dem in

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

adire, vel litteras mittere ad Summos Pœnitentiarios, ſi eſt contritus, poteſt ſumere Euchariſtiam, vel celebrare, ſi ſit Sacerdos, etiamſi non adſit periculum infamiæ, vel ſcandali: nam iſte apud Deum excuſatur; quia fecit, quantum potuit. Et ita me citato docet Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 9. capite 1. diffic. 10. num. 6.* & etiam me citato Trullench. *in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. n. 13.* Sed recognoſce me ipſum *in par. 1. tract. 5. reſol. 4. & in par. 4. tract. 4. reſol. 242.*

## RESOL. XVIII.

*An Hæreticus occultus poſſit abſolvi in abſentia ab Epiſcopo, ſi ipſum adire non poſſit?* Ex p. 5. tr. 13. & Miſc. 1. Reſ. 43.

§. 1. Caſus eſt practicabilis, & ad illum affirmativè reſpondet Ioan. Henriq. *in comp. caſ. mor. c. 20. num. 64.* ubi ſic ait: [ De aqui nace una duda, y es, ſi un hombre impoſſibilitado de poder yr al Obiſpo, incurrieſſe en el crimen de la heregia oculta, para lo qual no puede el Obiſpo dar ſus vezes à otra perſona, como eſtà declarado en el miſmo Concilio, en el cap. 6. alegado, que es lo que ſe deve hazer en eſte caſo? A lo qual reſpondo, que el Obiſpo puede abſolverlo de la deſcomunion en auſencia; y quitada la deſcomunion, queda el pecado ſin reſervacion alguna, y qualquier Confeſſor lo puede abſolver del pecado. Porque es coſa muy cierta, que todos los deſcomulgados pueden ſer abſueltos de la deſcommunion en auſencia, y contra ſu voluntad, pues la abſolucion de la deſcomunion no es ſacramental. ] Sic ille. Sed hæc ſententia procedit in opinione illorum aſſerentium facultatem Epiſcopis conceſſam in Concil. Trident. abſolvendi hæreticos occultos non eſſe ſublatam; quod noviſſimè docet Hurtad. de Mendoza *volum. 1. in 2. 2. diſputat. 84. ſect. 2.* & Lopez de Texeda *in controverſ. Theolog. moral. lib. 2. tract. 1. controv. 18. num. 14.* Duvallius *in 22. D. Thom. tract. de fide, q. 7. art. ultim. concluſ. 1.* & alij, quos ego ipſe citavi *in 4. part. tract. 4. reſ. 239.* Verùm ego ibi, & meritò, contrariam ſententiam docui.

## RESOL. XIX.

*An Inquiſitores habeant facultatem abſolvendi ab hæreſi, non ſolum in foro externo, ſed in foro conſcientiæ?*

*Et an hæc facultas abſolvendi ab hæreſi competat cuilibet Inquiſitori, & non toti conſiſtorio?*

*Et an quilibet Inquiſitor poſſit eamdem facultatem cuilibet Confeſſario delegare?*

*Et an in Inquiſitore ad hanc in foro conſcientiæ abſolutionem, & delegationem impertiendam non requiratur Ordo Sacerdotalis?*

*Et quid eſt faciendum, ſi Inquiſitores in caſu facultatem, ut ab ipſo Confeſſario quis abſolvatur, nollent impertiri, neque Epiſcopus?* Ex part. 1. tract. 5. Reſol. 3.

§. 1. Reſpondeo, Dominos Inquiſitores habere facultatem abſolvendi ab hæreſi, non ſolùm in foro externo: ſed in foro conſcientiæ; & præcipuè Inquiſitores Hiſpaniæ. Ita docent Campegius, Rodriquez, Toletus, Gutierrez, Paramus, Bañez, Henriquez, & Graffius apud Riccium, & Sanchez, *ubi infrà*, quibus ego addo Homobonum *de exam. Eccleſ. part. 2. tract. 11. cap. 6. quæſt. 11.* Puteanum *2. 2. D. Thomæ, q. 11. art. 4. dub. 2.* Lorichium *in theſ. verb. Hæreticus, §. 12.* Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 1. diffic. 12. num. 6.* Freitam *in additione ad tract. de Confeſ. ſollicit. Epiſcopi Roderici Acugna, quæſt. 21. num. 18.* & Garſiam *de benef. tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 122.* qui tres ultimi loquuntur de Inquiſitoribus Hiſpaniæ, & per conſequens noſtræ Siciliæ, quidquid in contrarium ſentiat Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap. 5. dub. 7. n. 31.* Farinacius *de hæreſi, quæſt. 192. n. 52. & 54.* Zecchius *in ſumma, part. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, cap. 11. n. 18.* Novarius *in ſingul. concl. 4. n. 2.* Ricciullus *tract. de iure perſon. lib. 5. cap. 15. num. 3.* Ioan. Valerus *in differ. utriuſque fori, verb. Hæreſis, different. 3. num. 3.* Riccius *part. 2. deciſ. 579. n. 5.* Sanchez *in ſumma, tom. 1. libro 2. cap. 12. n. 3. & ſeq.* & Suarez *tract. de fide, diſp. 21. ſect. 4. n. 15.* & inclinat Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, part. 2. alleg. 40. n. 28. in fin.*

2. Notandum eſt verò, quòd, ſtando in noſtra opinione, hæc facultas abſolvendi ab hæreſi competit cuilibet Inquiſitori, & non toti Conſiſtorio, ut adversùs Henriquez, & alios notant, Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 1. diffic. 12. num. 7.* Freitas, *ubi ſuprà, num. 15.* & alij: & ideò quilibet Inquiſitor poteſt eandem facultatem cuilibet Confeſſario delegare, ut adversùs Campegium *in addit. ad Zanchin. cap. 34.* & alios, rectè notavit Sanchez *ubi ſup. n. 5.* & Freitas *num. 16.* & Villalobos, & Homobonus, *ubi ſuprà, tractat. 12. cap. 2. q. 4.* qui etiam docuit, in Inquiſitore, ad hanc in foro conſcientiæ abſolutionem, & delegationem impertiendam, non requiri ordinem ſacerdotalem: quia talis facultas non conceditur Inquiſitori, in ordine ad Confeſſionem ſacramentalem, nec tanquam quid annexum Ordini; ſed officio, ut *ſuprà* diximus de Epiſcopo. Sed cùm Confeſſarius non poſſit cogere, ut hæreticus occultus prodat ſe Inquiſitoribus, ut alibi fusè probabitur, ſi Inquiſitores in tali caſu facultatem, ut ab ipſo Confeſſario abſolvatur, nollent impertiri, neque Epiſcopus, putantes ſe non habere talem facultatem, vel propter aliam rationem, quæritur, quid faciendum? Hanc quæſtionem nemò tractat niſi Freitas, *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. Epiſcopi Acugna.*

> Supr. in Reſ. quæ hic eſt 15. ſignanter in §. pen.
>
> Sup. hoc inf. in Reſ. 21. & melius in aliis ejus not.

## RESOL. XX.

*An Inquiſitores poſſint abſolvere Hæreticum occultum in foro conſcientiæ?* Ex p. 4. tr. 8. Reſ. 35.

§. 1. Noviſſimè Ferdinandus de Caſtro *in op. mor. tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 3. n. 3.* & Alphonſus de Leone *de offic. & poteſt. Confeſſ. tom. 2. recollect. 6. num. 127.* docent, nulli Inquiſitori neque Tribunali, datam eſſe facultatem abſolvendi ab hæreſi, & excommunicationibus reſervatis in foro conſcientiæ, quam ſententiam tuentur etiam DD. quos ego ipſe citavi *in 1. p. tract. de abſol. ab hæreſi,* * *reſ. 3.*

2. Sed ego *ibi* contrarium docui, & nunc iterum doceo cum DD. quos *ibi* adduxi, quibus nunc addo Philippum de la Cruz *in Theſauro Eccleſiæ tract. 1. §. 6. n. 1. in fine*, & Martinum Bonacinam *in Bull. Cœnæ. tomo 3. diſp. 1. q. 22. punct. 2. n. 5.* Dico igitur Inquiſitores Hiſpanos poteſtatem habere etiam in foro conſcientiæ ad abſolvendum hæreticum occultum, & hanc ſententiam in Hiſpania eſſe uſu receptam, teſtatur ex Rodriquez dictus Bonacina, & ipſemet Caſtrus, & Doctores contrarij fatentur hanc ſententiam eſſe probabilem, unde illam, ut mihi conſtat, in praxi deducere non dubitant Illuſtriſſimi Inquiſitores. Vide noviſſimè Farinacium *in addit. ad ejus opera poſt lib. 3. conſil. q. 4. n. 5. fol. mihi 4. col. 1.*

> * Quę hic eſt Reſ. antecedens, & inf. in Reſ. 37. §. ult.

## RESOL. XXI.

*Quid facere debeat hæreticus occultus, qui abſolutionem ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore obtinere non potuit?* Ex p. 1. tr. 5. Reſ. 4.

Sup. hoc ſup. in Reſ. 17. §. ult. & in Reſ. 19. curſim in fin. & melius in to. 9. tr. 7. Reſ. 123. ante medium, à verſ. & à fortiori, & in tom. 4 tr. 8. Reſ. 43. paulò poſt initium, à verſ. Quod patet.

§. 1. RESpondeo: Hæreticus occultus, qui non potuit per Confeſſarium obtinere facultatem ab Epiſcopo, ſeu Inquiſitore, ut ab hæreſi abſolvatur, mittat Romam, ad majorem Pœnitentiarium: & interim: dum talis expectatur facultas, obſervet ea, quæ de occulto excommunicato, non data de præſenti Confeſſoris copia tradunt, Navarr. *in Manuali, c. 27. n. 239.* & Henriquez *lib. 6. cap. 15. n. 7.* Et ita docet Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſor. ſollicit. Epiſcop. Acugna, quæſt. 21. n. 18.* ubi aſſerit, nullum Authorem hunc caſum tetigiſſe.

2 Poteſt igitur, in tali caſu, hæreticus occultus, ratione infamiæ, vel ſcandali, ſi timeantur, dum Sacerdos eſt celebrare; ſi autem laïcus, Euchariſtiam ſumere, eliciendo priùs actum contritionis: & ſi non exiſtimat ſe contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confeſſario abſolvatur, ex doctrina probabili, quam docet Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 7. n. 87.* & alij, quos citat Sancius *in Selectis, diſp. 32. n. 11.* quidquid alij contradicant, cum Sancio *loco cit.*

Sup his in §. 1. not præteritæ, ante medium.

3 Sed aliqui plus addunt, (attendat Lector) etiam ſecluſo ſcandalo, & periculo gravis infamiæ, ſupradictum hæreticum occultum, procurantem pro viribus abſolutionem; ſed propter paupertatem, aliudve legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neque ab Epiſcopo, vel Inquiſitore abſolutionem obtinere, ſi verè pœniteat, & contritus ſit, poſſe interim Miſſam celebrare, & Euchariſtiam ſumere, ſi laïcus eſt; ſi, ut diximus, ſcandali, & infamiæ timor adeſſet; & ita docet noviſſimè Fagundez *de Præcept. Eccl. tract. 1. lib. 3. cap. 12. n. 12.* cum ſapientiſſimo ſene Martino Navarro, adversùs Franciſcum Suarez *in 3. p. tom. 5. diſp. 9. ſect. 3. num. 7.* quod eſt valdè notandum: & rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio ſit probabilis, judicent viri docti: mihi enim non placet.

## RESOL. XXII.

*An legitimè impeditus adire Pontificem poſſit ab hæreſi occulta abſolvi ab inferiori Sacerdote?* Ex p. 4. tr. 4. & Miſc. Reſ. 242.

Sup. hoc lege doctrinam Reſ. ſeq. & aliarum Reſ. & §§. ejus annot.

§. 1. AD hoc dubium reſpondet Iacobus Granado *in 2. 2. D. Thomæ contra 1. tract. 15. diſp. 16. ſect. 4.* ubi *num.* 18. ſic aſſerit: Vix, aut ne vix quidem caſus iſte in praxi occurrere poteſt; nam ſi impedimentum ſit articulus, vel periculum mortis, diximus, quemlibet Sacerdotem poſſe abſolvere ab hæreſi; extra hunc verò articulum, aut periculum, cùm Epiſcopus juxta valdè probabilem ſententiam poſſit abſolvere, & idem probabiliter dici poſſit de Inquiſitoribus, non deerit (moraliter loquendo) quin remedium habeat eſto non poſſit adire Papam; ſed ſi daremus, facultatem Epiſcoporum eſſe revocatam, & Quæſitores fidei non poſſe in foro conſcientiæ hanc abſolutionem impendere, vera nihilominus ſententia eſt, etiam quando adeſt legitimum impedimentum adeundi Papam, non poſſe hæreticum occultum ab ullo alio abſolvi. Ita Granado, qui citat Sanchez, & Suarez: ſed circa præſentem quæſtionem vide me ipſum *in part. 1. tract. 5. reſol. 4.*

Quæ hic eſt Reſ. antecedens & lege etiam §§. ejus not.

## RESOL. XXIII.

*An qui laborat impedimento perpetuo, ita ut non poſſit adire Pontificem, poſſit abſolvi ab hæreſi, vel in dicto caſu extra articulum mortis, an ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, tacito nomine recurrendum ſit?* Ex part. 8. tract. 7. & Miſc. Reſol. 15.

§. 1. SVppono ſub articulo, vel periculo mortis comprehendi quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, ſervitutis, &c. ita ut Confeſſarius poſſit abſolvere pœnitentem, cùm ex dictis impedimentis non poteſt adire Summum Pontificem. Sed difficultas eſt, an hæc doctrina procedat etiam in caſu hæreſis, & negativè reſpondet Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 2. cap. 13. n. 37.* & Suarez *de fide, diſp. 21. ſect. 4. n. 26. in fine.*

Sup. hoc Reſ. præ[...]ta & in [...] ſeq. & in [...] 9. tr. 7. [...] 117. §. Sed [...] oritur, & [...] Reſ. 118. §. Aſſero [...] do. Sed ſi [...]gis has duas ult. reſ. per totas & duas & §§. earum annotationes facilius hanc quæſt. terminare poteris, & quamvis pro Epiſcopo in hoc caſu in tom. [...] tract. 5. Vide doctrinam §. Verum. Reſ. 16. & aliarum ejus not.

2. Non deſinam tamen adnotare, affirmativæ ſententiæ adhærere Caſtrum Palaum *tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 5. num. 5. & 6.* ubi ſic aſſerit, ſolùm in crimine hæreſis non audent plures Doctores hanc extenſionem concedere ob ejus ſingularem gravitatem, & rigoroſam reſervationem. Addúntque ſic impedito nullam ſuppetere viam ſe ab excommunicatione hæreticali liberandi, niſi acceſſum ad Inquiſitores, vel Pontificem per litteras, vel procuratorem tacito nomine, ſiquidem Epiſcopo per Bullam revocata eſt facultas in Trid. conceſſa.

3. Fateor ſola authoritate horum Doctorum hanc ſententiam probabilem reputari. Nam ſi licet proferre, quod ſentio, exiſtimarem ſanè æquè de hæreſi, ac de aliis criminibus poſſe ſic impeditum abſolvi à quolibet Confeſſario; quia poteſtas utendi hoc privilegio fundatur in neceſſitate pœnitentis: at licèt ſit delictum grave, graviorem tamen neceſſitatem pœnitens habet. Ergo non ob gravitatem hæreſis limitandum eſt. Adde, quia, ut ipſemet Sanchez *num.* 14. affirmat, & ſtatim, dicemus, nullus tenetur in periculo mortis conſtitutus medio procuratore, aut litteris miſſis, abſolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium aſſumere, quo ejus delictum manifeſtari poſſit. Ergo neque etiam tenetur adſtrictus illo perpetuo impedimento, quod mortis periculo æquivalet, aſſumere procuratorem, vel litteris facultatem procurare. Aliàs ſi propter gravitatem hæreſis, & illius ſpecialem reſervationem deberet pœnitens impeditus confugere ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per procuratorem, etiam in articulo mortis conſtitutus, deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur eſſe ſpecialior ratio in uno, quàm in alio. Hucuſque Palaus.

4. At ſententiam negativam cum Sanchez, & Suarez, docet amiciſſimus, & doctus P. M. Candidus *tom. 1. diſp. 3. artic. 8. dub. 5. num. 5.* ubi ſic ait: Poteſtas abſolvendi ab hæreſi in articulo mortis, non eſt extendenda, ut poſſit quis abſolvi alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitiis, ſenectute, aut ſimilibus impedimentis. Vnde in tali caſu extra articulum mortis ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras tacito nomine recurrendum eſt. Quia cùm non exprimatur *in capit. ea noſcitur, de ſententia excommun.* & in aliis, caſus hæreſis non cenſetur in illo comprehendi, propter ſtrictiſſimam ejus reſervationem. Ita Candidus.

RESO

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## RESOL. XXIV.

*An qui non poſſit adire Papam ex perpetuo impedimento, poſſit ab hæreſi abſolui, etiam ſi nondum ſi in articulo mortis?* Ex part.11. tractatu 8. & Miſcell. 8. Reſ.2.

§.1. AD hunc caſum ſic reſpondet Dicaſtil. *de Sacram.tom.2.tract* 8. *diſp*.11. *dub*.16. *num*.267. Quæri poteſt, an qui laborat perpetuo impedimento adeundi Papam,etiamſi nondum ſit in articulo mortis, poſſit prædicto modo abſolui, non ſolum ab aliis reſervatis,ſed etiam ab hæreſi itaut ſub nomine articuli mortis comprehendatur perpetuum impedimentum, &impotentia adeundi illum,& ſicut quando eſt in articulo mortis poteſt abſolui ab hæreſi,poſſit etiam in tali impedimento?

2. Negant multi, inter alios Sanchez *in ſumma lib.2.cap,*13.*n*.37. Suarius *de fide diſp*.21. *ſect*.4. *n*.26. *in fine*, qui alios referunt. Refert etiam Diana 8.*p. tract*.7.*reſol*.15. Candidum, ipſe tamen Diana nihil decidit.Moventur ad id negandum ob ejus delicti ſingularem gravitatem ob quam cenſeri debet magis rigoroſa reſervatio. Oppoſitum tamen exiſtimat (ſi ratione agatur) probabilius Caſtro Palao *loc. citato numero* 5.cujus rationes mihi valdè placent.Probatur ergo eandem eſſe rationem de hæreſi. Quia ea facultas conceditur ob neceſſitatem pœnitentis, hæc autem non minor,ſed eo major eſt,quo gravius eſt delictum, & magis cavendum periculum, ne quis ſub tanto malo moriatur, ergo gravitas non obſtat, ſed potius juvare debet, ut præcaveat periculum, nec ſuperior cenſetur velle, ut tandiù maneat expoſitus tali periculo. Accedit, quod juxta receptam ſententiam (de quo alibi diximus, & Sanchez admittit *numero* 14.) nemo in periculo mortis conſtitutus tenetur mittere procuratorem,aut litteras pro obtinenda abſolutionis facultate, & beneficio, neque enim tenetur medium adhibere, in quo ſe exponat periculo manifeſtandi ſuum delictum aliis. Atqui ille qui in tali impedimento eſt conſtitutus eodem modo ſe exponeret eidem periculo,ergo eodem modo non tenetur illi ſe exponere. Alioquin ſi ob gravitatem hæreſis deberet tunc mittere per procuratorem,aut litteras ad Inquiſitores,vel Papam, id ipſum teneretur in ipſo mortis articulo, ſi poſſet, quod adverſarij non concedunt. Hucuſque Dicaſtillus, ſed ſicut ego,ut ipſe ſupra notavit,olim nolui in hac quæſtione judicium ferre;idem iterum,& nunc facio.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens, & lege doctr. aliarũ Reſ. & §§. ejus notationis.

3. Notandum eſt hic propter ſuperius dicta quod quoties quis non poteſt per ſemetipſum adire ſuperiorem, etiamſi poſſit illum vocare, cenſetur conſtitutus in articulo neceſſitatis,idque colligitur *cap.Quamvis, de ſentent. excommunic.* ubi ad obtinendam abſolutionem ſolùm requiritur, ut quolibet canonico impedimento, retrahatur quo minus Romanum Pontificem poſſit adire;ita Corduba *in ſumma quæſt*.18.*par*.2. Valentia *tom*. 4. *diſputat*. 8. *quæſtion*. 10. *punct*. 2. Azor. *tom*. 1. *lib*. 8. *capit*. 19. *quæſt*. 5. Henriquez *de pœnit. lib*. 6. *cap*. 9. Sanchez *lib*.2. *ſumma cap*.13. *numero* 14. qui omnes teſte eodem Sanchez, & alij plures, quos refert, docent cenſeri legitimè impeditum eum, qui perſonaliter ſuperiorem adire nequit, etiamſi procuratorem mittere valeat. Atque ut idem Sanchez advertit, jus non obligat pœnitentem ut ſe per tertiam perſonam præſentet, ſed per ſeipſum. Vlterius in hac materia onus adeundi ſuperiorem,ut obtineat abſolutionem,non eſt onus confeſſarij;ſed gravamen pœnitentis,quaſi in pœnam ſui delicti. Quando ergo non poteſt ipſe adire ſuperiorem, vel eum accerſere, cenſetur verè impeditus, & carere copiâ ſuperioris? Multò minus, per litteras tenetur, quia exponeret ſe periculo detegendi peccatum, ſi vel litteræ amitterentur, vel ab alio reperirentur, aut poſtquam in manum ſuperioris venerunt ab aliquo alio legantur, ut ſæpè poteſt fieri; eſt etiam difficile tale medium exequi ſine nota. Quid ſi ſuperior non annuat? Denique multa ſunt quæ ab his mediis deterere poſſunt. Hanc ipſam ſententiam relatis auctoribus prædictis ſequitur Caſtro Palao,& rectè probat diſcurrendo per ſingula alia media recurrendo ad ſuperiorem, & oſtendendo pericula, quæ in his poſſunt timeri. Legatur illa, citata *diſput*.4. *punct*.5. *numero* 7. ubi cum eodem Sanchez rectè docet non teneri pœnitentem accipere Bullam Cruciatæ, aut aliud ſimile privilegium, ſed poſſe uti ordinario beneficio juris.

Sup. hoc inf. Reſ. 26. lege doctr. §.1.&2. & Reſ.18.& in tom.1. tr. 5. Reſ.4 §.2. per tot. & Reſ.11.& hic ſuperius in tr.1.Reſ.206. §. Adverte. quamvis in his doctrina illarum ſit pro articulo mortis.



4. Et hæc omnia docet Dicaſtillus *loco citato numero* 270. qui poſtea *num*.271.probat impedimentum perpetuum adeundi ſuperiorem pro abſolutione, æquivalere articulo mortis. Ratio eſt, quia impeditus moraliter certus eſt ſe non poſſe ante mortem abſolui à ſuperiore,atque adeo eſt jam ad eam neceſſitatem redactus, ut ab alio debeat abſolui & non à ſuperiore, quem per ſeipſum adire, (ut ſupponimus) non poteſt, per alios verò, aut per ſcripturam non tenetur, ut probatum eſt cum tot auctoribus; quid ergo proderit quod hic maneat toto tempore vitæ non abſolutus à peccato,nec à cenſura,ſi illa habeatur? Cumque omnis reſervatio ſit in ædificationem, non in deſtructionem (ut ſæpe dixi) nec debeat ſuperior cenſeri voluiſſe reſervare pro caſu, quo non ſolùm non prodeſt,ſed nocet reſervatio,meritò in caſibus locum habere debet doctrina, quod impedimentum perpetuum reputari debeat pro vero articulo, ſeu periculo mortis in ordine ad obtinendam abſolutionem peccati, ſeu cenſuræ. Cùm ergo in proprio articulo, aut periculo mortis(poſito ſaltem quod non poſſit haberi ſuperior)poſſit abſolui,poterit etiam in tali caſu æquivalenti. Et ſuperius dictis conſentit Palaus & alij quantum ad caſus Pontificis, & Hurtad. *de Pænit. diſput*.11. *difficul*.13.hoc etiam extendit ad caſus aliorum Prælatorum, ſed negat Cardinalis Lugo, verùm adverſus illum inſurgit Dicaſtill. *ubi ſupra*, adi illum, & non pigebit.

Sup.hoc latè in to.1. tr.5. Reſ.18. & in aliis ejus primæ not.

## RESOL. XXV.

*An qui vi, & metu, vel fraude, & dolo, aut alio quocumque caſu inter Infideles exterius fidem negat, corde tamen illam retinens poſſit poſtea inter Chriſtianos rediens abſolui à quocumque Confeſſario approbato; & quid de blaſphemantibus hæreticaliter inter Chriſtianos?*

*Et quid eſt dicendum de illuſoribus Imaginum Sanctorum; & comedentibus carnes tempore prohibito &c?*

*Et an,quando blaſphemia eſt hæreticalis, abſolutio Inquiſitori reſervetur?* Ex part. 3. tract.4. Reſolut. 142. aliàs 143.

§.1. AFfirmativè reſpondet Stephanus Fagundez *præc.2.lib.8.c.8.n.*39. ubi ſic aſſerit: Animadverto illum,qui vi,& metu,vel dolo,& fraudulenter ſe inter infideles exteriùs infidelem fingit,Maurum videlicet,Iudæum,Idololatram aut Hæreticum,& exteriùs fidem negavit,corde tamẽ illam retinens,peccare quidem graviſſimè contra externam fidei profeſſionem, non tamen eſſe hæreticũ comprehenſum in Bulla Cœnæ,nec incurrere excommunicationem ipſius,& poſſe abſolui à quocunq; Confeſſario ordinario approbato. Ita Fagund.& ante illum ex eandem Societate Ieſu do-

Sup.hoc ſup. in Reſ. 5. §. ult.& inf. in Reſ. 29. §.1. & 2 & in to. 2. tr. 6. Reſ. 169.§. Mihi. ad med.verſ. Ille etiam.

cuerat hanc ſententiam Toletus *lib. 4. cap.4. num.6.* & poſtea Suarez *tom.5.in 3.part.diſp.4.ſect.2.n.22. & diſp.21.ſect.2.n.3.* & tandem Sanchez *in ſumma tom.1. lib.2 c.7.n.8 in fine*, & poteſt omnes Filliucius *tom.2. tract.22.c.6. n.164.* Et ratio eſt, quia talis non eſt verè infidelis, vel hæreticus quia non habet errorem in intellectu. Ergo,&c Deinde hæreſis ratione ſolius excommunicationis reſervatur. At hereſis externa abſque errore interno non ſubjacet excommunicationi. Ergo, &c. Nec refert, ( ait Fagundez ) quòd ab Inquiſitoribus hujuſmodi homines puniri poſſint in foro externo, tanquam hæretici, nam præſumunt Domini Inquiſitores illos habuiſſe diſſenſum à fide in intellectu, ſiquidem hunc diſſenſum exterius finxerunt, & manifeſtarunt. Ita ille.

2. Et poſt hæc ſcripta inveni eam ſententiam ſupradictorum Auctorum docere etiam Franciſcum Sylvium in ſuis eruditiſſimis Commentariis *ad 2. 2. D. Thomæ q.11.art.3.concl.2.* ubi ſic aſſerit: Hæreticus ſolo actu externo quamvis graviter peccet, non eſt excommunicatus neque incurrit alias pœnas Eccleſiaſticas in hæreticos latas, & per conſequens poteſt à quolibet Confeſſario abſolui, quamvis pro hæretico in foro externo reputetur, imò & pro excommunicato geri debet apud eos, qui noverunt peccatum externum, & neſciunt animum ſemper manſiſſe Catholicum. Ex his ſequitur, quòd qui propoſitiones hæreticas effuderunt, qui Sanctorum imaginibus illuſerunt, qui comederunt carnes tempore prohibito, qui Mahumeto cultum, & reverentiam exhibuerunt, ſi ea fecerint, aut metu compulſi, aut ſpe lucri adducti, aut ira, vel alia quacunque paſſione commoti, nullum in animo errorem, at priſtinam fidem rectam tenentes, neque hæretici ſunt, neque excommnnicatione in hæreticos lata innodati. Ita Sylvius *ubi ſuprà.*

Sup.hoc inf. in §§. ſeqq. hujus Reſ.& ſignanter §. Et tandem.

3. Item hanc ſententiam docet Homobonus de Bonis *in exam.Eccleſ.part.1.tract.7.c.1.q.4.* ubi ita ait. Quid ſentiendum de eo, qui ſolùm exteriùs rem fidei negat, aut ab ea omnino per apoſtaſiã recedens abſque tamen errore intellectus ad aliam ſectam tranſit? Reſpondeo, cùm cenſuræ, & reliquæ pœnæ delictum aliquod afficientes, non niſi ob delictum verum & conſummatum contrahantur, ſequitur, quemlibet Confeſſarium ab hoc (licèt gravi peccato) abſoluere poſſe. Secus autem in externo foro judiciali, in quo præſumptionibus ſtatur, proinde qui hujuſmodi delicta committunt, per Eccleſiaſticos judices reconciliari; & à cenſuris abſolui ſolent. Idémque de his dicendum eſt, qui aliquã hæreticalia verba protulerunt, & poſtea ſe ea joco dixiſſe aſſerunt; nam eorum excuſationes in foro interiori, non autem in exteriori judicio admittuntur. Sic Homobonus.

4. Item hanc opinionem tenet Ioannes Valerus *in differentiis utriuſque fori, verſ. Hæreſis differ.2.n.1.* ubi ſic aſſerit: Fidem negans, exterius, interius tamen ſervans, non eſt in foro animæ excommunicatus, & ideò in tali foro non indiget abſolutione, & poteſt à ſuo Parocho à prædicto peccato abſolui, ubi Epiſcopi non habent prædictum peccatum reſervatum, in foro tamen exteriori, judicabitur excommunicatus, & tenemur eum denuntiare Dominis Inquiſitoribus.

5. Item tenet Bartholomæus Giptius *in tract.de caſ. reſerv.c.6.caſ.4.n.83.& 84.* ſic aſſerens. Et hæc ſint breviter dicta ad cognoſcendum quæ ſapiunt hereſim manifeſtam, eaque procedunt in foro fori. At verò aliter proceditur in foro conſcientiæ, in quo cùm procedatur ſecundùm intima cordis, nam ſi quis aliquod hæreſim manifeſtam ſapiens proferat, non ſequitur: ergo eſt hæreticus. Prudens igitur Confeſſarius conſiderabit, ſitne revera hæreticus, nam ſi quodcumque manifeſtam hæreſim ſapiens fecerit, ſi revera non ſit hæreticus, abſoluat ab hoc caſu, ſi non eſt Epiſcopo reſervatus, quidquid ſit futurum coram Inquiſitore, ſi res aliquo futuro tempore detegatur. Sic Gigptius.

6. Et tandem hanc ſententiam ex Dominicanorum familia tenet Michaël Zanard. *in directorio Theologorum, p.2.præcept.1.cap.11.* ubi ſic ait; Quando blaſphemia eſt hærericalis, abſolutio Inquiſitori reſervatur. Si verò Confeſſor compererit blaſphemum benè ſentire de fide, eum abſoluat. Ita Zanardus, quo nihil, clarius, nam apertè docet tunc blaſphemiam hæreticalem eſſe Inquiſitoribus reſervatam, quando blaſphemus habet errorem intellectus; nam ſi bene ſentiat de fide, docet à Confeſſario abſoluendum. Vide etiam Torreblancum *de magia, lib.4.cap.5.n.8.* Bañez *in 2.2. D. Tho.q. 11.art.4.§.quæritur ſecundò, concl.3.arg.2.fol.mihi 658.*

7. Vidiſti amice lector, quot patronos numero & ſcientia inſignes habeat hæc opinio. Ex qua ſequitur quòd ſi aliquis, ut dictum eſt, tantum externè fidem negavit, vel alia ſapientia manifeſtè hæreſim commiſit, poteſt à quocumqne Confeſſario abſolui ſine auctoritate Dominorum Inquiſitorum, & ſine privilegio Bullæ Cruciatæ, dummodo tale peccatum non ſit Epiſcopo reſervatum. Verùm hæc opinio diſplicet multis, & præſertim viro doctiſſimo Domino Don Franciſco de la Riba Vicario Eminentiſſimi Cardinalis ab Auria, nam putant, hoc minimè Confeſſarium efficere poſſe ſine dominorum Inquiſitorum auctoritate, vel ſine Bulla Cruciatæ, cùm tale peccatum ſit Dominis Inquiſitoribus per eorum edicta reſervatum.

---

## RESOL. XXVI.

*An quilibet Sacerdos etiam Parocho præſente, poſſit in articulo mortis Hæreticum abſoluere?*

*Et quid, ſi in dicto caſu Epiſcopus, vel inquiſitor præſens ſit?*

*Et an ſupradictus Hæreticus occultus abſolutus in articulo mortis, ſi ab eo evadat, debeat ſe præſentare Summo Pontifici ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram, vel ſufficiat, ut ab Epiſcopo, vel inquiſitore denuo abſoluatur?* Ex p.1. tract.5.Reſ.5.

§.1. Reſpondeo poſſe quemlibet Confeſſarium, in articulo, mortis abſoluere Hæreticum: & hoc omnes concedunt: *Difficultas, eſt quando Inquiſitor, vel Epiſcopus adeſſet in tali caſu Putat Zambranus *in deciſ.caſ.conſc.tempore mortis, c.4.dub.4.n.15. & dub.6. n.4.* & Bonac. *de cenſ.diſp.1.q.3.punct.3.n.5.* ægrum debere illos adire per confeſſarium, vel per alium; ſeu per literas facultatem, ut abſolvatur, petere.

Sup. hoc in tom.1.tr.5. Reſ.4.§.1. Reſ.11.& in omnibus aliis earum notationum, & not. ſeq.

2. Hanc ſententiam, & meritò, damnat Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2.cap.13.n.14.* Et ratio eſt: quia non adeſt obligatio pœnitenti, ut ſe per tertiam perſonam Superiori abſoluturo præſentet; & Confeſſarius non tenetur hoc gravamen ſuſcipere.

3. Adde, quod ego puto probabiliter, in tali caſu ceſſare omnem reſervationem caſuum, & cenſurarum & ideo poſſe ſimplicem Sacerdotem, etiam præſente confeſſario approbato, & Confeſſarium approbatum, etiam præſente alio Superiore: cui caſus illi, & cenſuræ reſervantur, vel per privilegium conceduntur; poſſe, inquam, in tali caſu abſoluere ægrum ab omnibus caſibus, & cenſuris, & per conſequens ab hæreſi: & ita docent Navarrus, Rodriquez, Henriquez, Vega, citati à Sanchez *ubi ſuprà, n.6.* quibus ego addo Villalobos *in ſumma, tom.1.tract.27.clauſ.1.§.2. num.7.* Barboſam *de poteſt. Epiſcopi part.2.alleg. 25. num. 51.* Coriolanum *tract.de caſ.reſerv.part.1.ſect.2.art.16.n.7. & 8.* Conradum *in Reſponſ.caſ.conſcient.par.1.q.12.* Ludovicum de S.Iuan *in ſumm. part.1. tract.de pænit. q.6. art.6.dub.4.* Iuan. Valerum *in different.utriuſque fori, ver. Excomm.diff.23.n.1.* Angles *in 4.to.2.q.de Confeſſione, art.*

Sup. confeſſo in hoc §. latè in to.1.tr.4. Reſ.41.& 44. & ibi in tr.5. Reſ.7.§ Notandū eſt & ſeqq.& in to. 3. tr.1. Reſ. 41.§. Verum quoad. & ſeqq. ſed & ge eá à prin. vel ſaltem §.Sed ſup dicta.& ibi Reſ. & hic ... rius in tr.1. Reſ. 205.§ 2. ad med.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*art. de miniſt. diffic. articulo mortis.* Epiſcopum Zerolam *in praxi de Pœnitentia cap.* 15. *num.* 4. Finellium *de caſ. reſerv. cap.* 7. *in fin.* & ex Societate Ieſu Paulum Comitolum *in Reſp. moral. lib.* 1. *quæſt.* 22. *num.* 2. ubi ſic aſſerit: [ Mihi tamen in verba Concilij Tridentini intuenti, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. perquam videtur probabile, unicuique in mortis articulo conſtituto jus eſſe, cui collibitum fuerit, confitendi quamvis proprius adſit Sacerdos: facit enim ille articulus, ut omnis ceſſet reſervatio; cur non item ceſſet reſervator? ] Etenim his verbis decernit Concilium: [ Veruntamen piè admodum, ne ipſa occaſione aliquis pereat in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. ] In quibus verbis Concilium abſolutè, & indiſtinctè dicit omnes Sacerdotes ea poteſtate gaudere in eo articulo. Ergo videtur omnibus illis parem juriſdictionem, pro eo articulo, concedere, & cum lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Vnde Petrus de Ledeſma Dominicanus, tenens hanc ſententiam *in ſum. to.* 1. *tract. de Sacram. Pænit. cap.* 14. *diffi.* 2. *fol. mihi* 301. ſic ait: [El derecho Eccleſiaſtico ( nempe, Concilium Tridentinum, *ubi ſuprà* ) no pone exception ninguna; ſino tan ſolamente dice, que qualquier Sacerdote puede abſoluer à qualquier penitẽte, de qualeſquier pecados, y cenſuras, luego en el articulo de la muerte qualquier Sacerdote puede confeſſar, aunque eſte preſente el proprio Parocho, ò otro que tenga juriſdicion ſubdelegada. ] Hæc ille, ſatis, ut *ſuprà* dixi probabiliter: quidquid in contrarium, probabiliter etiam, aſſerant Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *ubi ſup. n.* 7. quibus ego addo Sanctorium *de caſ. Pap. & Epiſop. n.* 146. Bonac. *de Sacram. diſput.* 5. *q.* 7. *punct.* 1. *n.* 10. *& de cenſ. diſp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 3. Benzonium *tr. de fuga, lib.* 1. *diſp.* 1. *q.* 6. Sanctarellum *tract. de hæreſi, c.* 6. *dub.* 1. *n.* 2. Putaneum *in* 3. *p. D. Thomæ, p.* 2. *q.* 3 *concl* 1. Coninch *de Sacram. diſp.* 8. *dub.* 2. *num.* 16. Reginaldum *in praxi, to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 61. Avilam *de cenſuris, part.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 4. Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 4. *quæſt.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. & Nugnum etiam *in addit. ad* 3. *p. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 6. *dub.* 3. *fol. mihi* 300.

4. Notandum eſt verò, ſupradictum Hæreticum occultum abſolutum, ut *ſuprà*, in articulo mortis, debere ſe præſentare Summo Pontifici, nam cum hoc onere abſolutus cenſetur, ſi ſupervivat, ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram; non ut iterum abſolvatur, quia jam abſolutus eſt: ſed, ut obediat ejus mandatis. Ita Suarez *tom.* 1. *diſp.* 30. *ſect.* 3. *n.* 6. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 29. *n.* 4. Barboſa *in collectan. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 39. *c.* 11. *n.* 5. & alij communiter: licet contrarium aſſerat Navarrus *cap.* 26. *n.* 27. Avila *de cenſuris, part.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. *§.* 2. & Gambarupta *tract. de caſ. reſerv. cap.* 2. *n.* 65. quando cenſura non habet onus ſatisfaciendi cauſæ, propter quam incurritur, ut eſt in caſu noſtro: & probabilem putat hanc opinionem Fillucius *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 7. *num.* 141.

5. Sed ſi aliam ſententiam vis amplecti, etiam dico, non eſſe neceſſarium, ut talis Hæreticus ad Summum Pontificem recurrat; ſed ſufficere, ut ab Epiſcopo, vel Inquiſitore denuò abſoluatur: nam prior abſolutio non obſtat, quin pœnitens poſſit novam abſolutionem abſolutam obtinere: & ita docet Henriq. *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 3. *in Gloſ. lit. G.* Bonac. *de cenſ. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 15. & alij.

## RESOL. XXVII.

*An Hæretico negativo jam deſtinato ad comburendum ſit abſolutio impertienda, & ſacra Euchariſtia conferenda?*

*Et an in ſupradicto caſu, ſi nullus eſſet Sacerdos præter ipſum judicem Eccleſiaſticum, teneatur excipere confeſſionem ſacramentalem negativi, & illum abſoluere, ſi prudenter ſenſerit illum ritè eſſe confeſſum, nec licitè poſſit id prohibere Sacerdotibus?* Ex part. 5. tract. 3. Reſ. 78.

§. 1. PRo parte negativa *in part.* 1. *tract.* 5. *reſolut.* 8. adduxi Sanchez; pro affirmativa verò Portel; ſed prò curioſis non deſinam modò hic apponere ſententiam Hurtadi de Mendoza *de fide vol.* 1. *diſp.* 86. *ſect.* 2. §. 29. ubi ſic ait: Dubium occurrit quid agendum ſit cum hæretico negativo? an ei poſſint ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ conferri, an ei ſint neganda? Ego diſtinguo duas rationes ei Sacramenta conferendi. Prima eſt ex authoritate judicis accerſentis Sacerdotem ut ei miniſtret confeſſionem, eúmque abſoluat, & det Chriſti corpus. Secunda eſt ſine judicis authoritate, ut ſi Sacerdos à judice abhibitus velit judice inconſulto audire peccata negativi; ex cujus ſacramentali confeſſione colligit prudenter eum eſſe innocentem, & ne falſum quid dicat, eſſe paratũ ad ſupplicium. Pater Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 2. *n.* 5. ſupponit eum non eſſe donandum Sacramentis, in quo eſt deterioris conditionis hæretico confeſſo. Ego hanc ſententiam interpretor de prima ratione conferendi Sacramenta, ídque probat ratio Patris Suarez, eum non debere in Eccleſia tolerari, quia non eſt illi reconciliatus, quæ clara ſunt in reconciliatione & toleratione juridica, ſive forenſi, quia leges fori ſunt illi adverſæ. At non video cur Sacerdos privatim non poſſit illum abſoluere, imò videtur ad id teneri, quia privatim leges fori non præjudicant legibus conſcientiæ: poteſt enim quis innocens in conſcientia eſſe reus in foro. Demus Sacerdoti conſtare evidenter de innocentia negativi, vel quia teſtes confeſſi ſunt crimen falſi teſtimonij, vel quia decepti ſunt in perſona accuſata, vel aliam ob cauſam. Hic tenetur negativum abſoluere, quia omnia argumenta videt veræ pœnitentiæ, & alioquin exponeretur periculo damnationis. Idem dico etiamſi Sacerdos non ſit certus de falſo crimine, quia in foro ſacramentali ſtandum eſt confeſſioni ipſius pœnitentis, dum non convincitur mendacij à miniſtro Sacramenti; tunc autem non convincitur: ergo tenetur ſtare illius confeſſioni. Igitur dum prudenter credit negativum eſſe verè pœnitentem, tenetur illi dare Sacramentum Pœnitentiæ, privatim tamen & occultè, judice ut judice inconſulto, quia ut judex id tenetur prohibere. Confirmatur, quia collatio Sacramenti nulli periculo tunc exponitur, negatio autem Sacramenti eſt expoſita periculo damnationis æternæ negativi: ergo eſt adminiſtrandum id Sacramentum, quod cenſeo de ipſo judice Eccleſiaſtico; ſi enim præter illum nullus adeſſet Sacerdos tenetur excipere confeſſionem ſacramentalem negativi, & illum abſoluere, ſi prudenter ſenſerit illum eſſe ritè confeſſum, nec licitè poteſt id prohibere Sacerdotibus, quamvis in foro agant cum negativo more in pertinaces ſervato. Hucuſque Hurtadus.

Quæ hic eſt int. Reſ. 33. in ejus §. ult.

2. Notandum eſt etiam hîc obiter id, quod docet Maſinus *in pract. Inquiſ. part.* 10. *num.* 57. ubi ſic ait. [L'heretico, il quale in articulo mortis viene aſſoluto deve s'haura con la ſua falſa dottrina ingannato alcuni promettere di ſatisfare, cioſè ſcoprir loro la frode. La qual coſa non s'intende haver luogo qualcunque volta egli habbia di gia ſodisfatto, o non poſſa in verũn modo ſodisfare, o perche gli ingannati ſiano aſſenti, o perche egli poco ſtante debba eſſer condotto alla morte, e ceſſa altresì la neceſſita di tal cautela, quando per altra via ſia ſtato à gli inganniti ſcoperto l'inganno.] Sic ille.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## RESOL. XXVIII.

*An ſit petenda facultas ab Inquiſitoribus abſoluendi illum, qui damnatus eſt ad mortem, & jam eſt, ut vulgo dicitur, in Capella penes Dominos Societatis Alborum, & invenitur Hæreticus?*

*Et quid in hoc caſu, ſi eſſet Prælatus, & ſubditus in eadem domo, & hic autem habet crimina reſervata; an non teneatur ille, nec Confeſſarius Prælatum adire, quamvis poſſit?* Ex p.5.tr.13 & Miſc.1. Reſ.12.

§.1. SVppono poſſe hoc fieri ſine Rei manifeſtatione. Et hoc non obſtante negativam ſententiam teneo, quam tuetur Hurtadus de Mendoz *in 2.2. diſp. 84. ſect.7.§.125.* ubi ſic ait. Carcerati afficiendi ultimo ſupplicio ſunt in mortis articulo. Lata igitur ſententia, & inſtante exquutione, ſunt in mortis articulo, in quo nulla eſt reſervatio. Nec tenentur mittere Confeſſarium, ut petat à Superiore facultatem, quia rectè monet Sanchez illud futurum oneri Confeſſario ipſi potius, quàm pœnitenti, qui quidem adire non poteſt. Addo eum non teneri Superiorem adire, quamvis poſſet, e. g. ſint ſimul in eadem domo Prælatus & ſubjectus, hic autem habeat crimina reſervata Prælato, non tenetur illum adire magis, quàm ſi eſſet ex morbo moribundus Ad hoc autem eum non teneri, oſtendam inferiùs. Ratio eſt, quia ex ſententia juſta aut injuſta violentia hic eſt in mortis articulo, non ſecus, ac qui ex morbo. Hæc autem immunitas à reſervatis non oritur ex hac, aut illa occaſione periculi; ſed ex ipſo mortis articulo, ut in eo homo ſine ulla difficultate ſit expeditus ad ſe reconciliandum Deo, & cùm jam ſit exceſſurus è vivis, non eget eo reſervationis fræno, nec cum illo agitur more cæterorum. Ita Hurtadus, & ego.

*[Margin:] Sup. hoc quamvis pro naturali mortis articulo lege ſup. ex Reſ. 26. doctr. §.1. & ſignanter §.2. & ex Reſ. 24. §. Notandũ & ſuperius in tr.1 ex Reſ. 206 §. Adverte. & in tom 1. tr. 5. Reſ. 4. à lin. 3. à verſ. Difficultas & ſeq. & ad pedem literæ ut in hac Reſ. in alia ejus not.*

## RESOL. XXIX.

*An Confeſſarius virtute alicujus Iubilæi poſſit abſoluere ab hæreſi occulta?*

*Et ſupponitur, quod in ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conſcientiæ, opus eſt, ut Hæreticus habeat errorem in intellectu cum pertinacia, & ejus incredulitas humano ſenſui ſubjaceat; ideo ſi aliquis exterius ſolum negat Fidem, non erit Hæreticus; nec ſi tranſiret ad aliam ſectam; vel ſi Idolis externum cultum exhibeat; vel ſi Dæmonem invocaret verbo, cultu, vel alio aliquo opere; vel ſi magnetem, vel caput aſini baptizaret; & incantationes, & maleficia efficeret; & ſimilia horrenda perpetraret; ſi errorem in intellectu non habet, minimè Hæreticus in foro conſcientiæ cenſendus erit.*

*Et tandem docetur, quod Hæreticus purè mentalis non incurrit in excommunicationem niſi verbo, vel aliquo ſigno, aut facto hæreſim explicet?* Ex part.1. tract.5. Reſ.1.

§.1. SVppono, quòd in ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conſcientiæ, opus eſt, ut Hæreticus habeat errorem in intellectu cum pertinacia, & ejus incredulitas humano ſenſui ſubjaceat. Diximus, *ut habeat errorem in intellectu*: nam ſi aliquis ſolùm exteriùs neget fidem, non erit Hæreticus in foro interiori: & ideò qui tranſiret ad aliam ſectam, vel idolis externum cultum exhiberet; qui Dæmonem invocaret verbo, cultu, vel aliquo alio opere, qui magnetem, vel caput aſini baptizaret, incantationes, & maleficia efficeret, vel ſimilia horrenda perpetraret, ſi errorem in intellectu non haberet, minimè Hæreticus in foro conſcientiæ cenſendus erit. Hæc omnia tamen non impediunt, quominùs Illuſtriſſimi Inquiſitores poſſint talem punire tanquàm Hæreticum: quia ex ſignis externis prudenter poſſunt, & debent præſumere internum peccatum hæreſis.

*[Margin:] Sup. contecto in hoc, & ſeq. § ſup in Reſ.5. §. ult. & in Reſ.25. & in tom. 2. tr.6 Reſ.169. §. Mihi. ad med.*

2. Secundò diximus, *cum pertinacia*: quia, ut ſit aliquis Hæreticus, opus eſt, ut ſciens, & prudens teneat aliquid contra Eccleſiam; vel, ut alij loquuntur, ut quis cognoſcat, & animadvertat ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ; & tamen, neglecta auctoritate ipſius Eccleſiæ, in ſua opinione perſiſtat: & in hac pertinacia, temporis mora, & in errore perſeverantia non requiritur; quia in quovis temporis momento, & uno ſolo actu, & aſſenſu inſtantaneo poteſt hæreſis culpa perpetrari.

*[Margin:] Sup. hac pertinacia ... inf. in ... latiſſime ... doctr. ... 36.*

3. Et tandem diximus: *Et ejus incredulitas humano ſenſui ſubjaceat.* quia Hæreticus purè mentalis non incurrit in excommunicationem, niſi verbo, aliquo ſigno, vel facto hæreſim interiùs latitantem explicet.

*[Margin:] Sup. hoc ... in Reſ. 5. ... Notandũ ... ſuperius in tr.1. Reſ. 14 & inferius ... tr.10. Reſ. ... curſum, ... addito Bonacina, in fin. verſ. Ni Hæreticus, & in tom. 1. tr.6. Reſ. 171. §. Verum à lin. 3. & in tom. 3. tr. 1. Reſ. 32. per tot. & ſignanter §. 1. ad med. verſ. Tum quia Eccleſia, & in tom. ... tr. 3. Reſ. 2. ferè poſt tres col. à princ. verſ. Sed ut cognoſcat, &c.*

4. Et ita hæc omnia ſupradicta docent DD. quos citat, & ſequitur Sanch. *in ſumma, tom.1. lib.2. c.7. n.8.* quibus ſubſequentes ego addo: Pinellum *de caſ. reſerv. caſ.2. num.*10. Lorcam *in 2.2. quæſt. 11. art.2. diſp.47. n.7.* Becanum *in ſumma Theol. part.3. cap... quæſt.2.* Megalam *in 3. p. lib.3. cap.1. quæſt.1. n.4.* Molfeſium *in ſum. tom.1. tract.11. cap.7. n.39.* Floronum *de caſ. reſerv. p.2. caſ.1. §.4. verſ. dummodo, num.2.* Turrianum *in 2.2. tom.1. diſp.55. dub.1.* Coninch. *de actibus ſupernatur. diſp.18. dub.7. n.75.* Malderum *in 2.2. quæſt.11. art.1. membr.2. 3. & 4.* Duardum *in Bull. Cæn. lib.2. can.1. quæſt.20. & ſeq.* Piaſecium *in praxi Epiſc. p.2. cap.4. art.6. n.3.* Giptium *de caſ. reſerv. c.6. n.84. cap.9. n.45. & cap.14. n.7.* Souſam *in Bulla Cæn. cap.2. diſp.5. & ſeq.* Lazarium *tr. de Blaſphem. q.5. n.74.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p.3. c.9. §.16. n.2.* Gambaruptam *de caſ. reſerv. c.4. n.13. & ſeq.* Barboſam *de poteſt. Epiſc. p.2. alleg.40. n.5.* Campanili *in diverſ. jur. can. rubr. 11. c.26. n.28.* Homobonum *de caſ. reſerv. p.1. c.8.* Zanardum *in direct. Confeſ. p.2. præcept.1. c.8.* Peregrinum *de immun. Eccl. cap.8. n.2.* Torreblancam *de magia, lib.3. c.10. n.20.* Cherub. *in comp. Bull. tom.3. Conſtit.24. Pauli V. ſchol.2.* Valerum *differ. utriuſque fori, verb. hæreſis, diff.2. n.1. & 2.* Filliucium *tom.2. tract.22. c.6. n.152.* & Reginaldum *tom.1. lib.9. cap.14. n.224.* cum aliis. His itaque ſuppoſitis.

5. Reſpondent aliqui, Confeſſarium electum virtute alicujus Iubilæi, in quo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, etiam in Bulla Cœnæ, poſſe abſolvere pœnitentem à crimine hæreſis: & ita fuiſſe declaratũ Romæ anno 1607. in Sacra Pœnitentiaria, & ſervari in praxi teſtatur Filliuc. *tom.1. tract.8. c.10. n.265.* & Antonucius *in Catecheſ. Neap. lib.4. cap.19.* aſſerit, ita fuiſſe deciſum Placentiæ ab Epiſcopo, & Inquiſitore illius Civitatis, qui quidem Epiſcopus erat tunc noſter Card. Arezzus, Vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus. Et hãc ſententiam practicari à Patribus Societatis IESU, teſtatur Epiſcopus Zerola *tract. de Iubilæo, lib.2. cap.18. q.3.* & ex eademmet Societate illam docet Regin. *tr.1. lib.8. cap.5. ſect.1. n.53. in fin.* & noviſſimè Fagund. *de Præc. Eccl. tract.2. lib.8. cap.8. n.38.* ex noſtra Religione docet etiam hanc ſententiam Molfeſ. *in ſum. to.1. tract.7. c.21. n.62.* Alfonſus de Leone *tract. de Iubilæo, p.2. q.11. n.43.* Idem etiam docet Peirinus *de privil. Minimorum, tom.1. Conſtit.4. Sixti IV. §.5. n.20.* & ante illos Lorca *in 2.2. q.11. art.4. diſp.45. n.3.* Farinacius *de hæreſi, q.192. n.63.* qui citat Pegnam: & tandem Polanchus *tract. de Iubilæo, nuper impreſſo, ſect.42. n.65.* & multi viri docti à me de hac re conſulti.

*[Margin:] Sup. contecto in hoc & duobus §§. ſeqq. inf. in Reſ. 18. §. Sed §. ad lin. ... verſ. Ratio eſt. & inferius in tr. 10. Reſ. 81. & quamvis nõ plenè ſup. hoc lege tamen in to. 4. tr. 4. ex Reſ. 13. §. ult. & ſignanter in to. 7. tr. ... Reſ. 287. §. Confirmatur, in princ. & melius in to. ... tr. 2. Reſ. ... §. 2. propè fin. à verſ. ... ideo in conceſſione ... latè in §. ... argumen... & ſeqq & tom. 9. ... Reſ. 112. ... propè fin. verſ. ... etiã prob...*

6. Et ratio eſt: quia ut doctè obſervat Lorca, ex quo Pontificibus cõſtitit controverſia hæc inter Doctores, ut ſedarent quæſtionem, expreſsè aliquando exceperũt crimen hæreſis: quòd ſi poſtmodum generaliter in aliquo Iubilæo dent abſoluendi poteſtatem, nulla exceptione

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

…ſed abſo- …ti & à Pō- …ſcibus de- …itum De- …rum lege …ud ibi in …ſ. 118. à …n.5. §.2.

tione facta; videntur planè ex induſtria eam abſtuliſſe, & voluiſſe indiſcriminatim omnia largiri. Secundò, quia ita videtur expedire ad finem recipiendi theſaurum Indulgentiarum: nam aliàs multi illas conſequi minimè poſſent.

7. Sed, his non obſtantibus, non deſunt DD. contrarium ſentientes, quos citat, & ſequitur Suarez *tract. de fide, diſp.21. ſect.4.n.21.* quibus ego addo Floronum *de caſ.reſerv.p.1.c.4.§ 22.n 4.* Ragucium *in lucerna Parochorum, q.125.n.5* Sylvium *in 2.2.q.11.art.3.* Novarium *in ſingul.concl.3 n.8.* Avilam *de cenſ.p.2.cap.7.diſp.1.dub.7.concl.1.* Victorell. *in notis ad Man.Navarri, c.7. n.74.* Portel. *in addit.ad dub.regul.verb.hæreſis.n.26.* Homobonum *de exam.Eccl.p.2.tract.5. cap.6.q.35.* Torreblancam *de magia.lib.4. cap 6.n.3.* Ricciullum *tract. de jure perſon.lib.5.cap.14.n.7.* & alij aſſerentes, quòd ita habet ſtylus Curiæ Romanæ, & ita fuiſſe declaratum à Gregorio XIII.

8. Sed hæc parum vrgent apud DD. primæ ſententiæ: nam reſpondet Fagund. *ubi ſup.* quòd ſtylus Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate iſtius opinionis; non tamen tollit probabilitatem alterius. Adde, quòd ſtylus Curiæ varius eſt pro varietate Pontificum. Ad declarationem autem Greg. XIII. reſpondetur, quòd de illa non conſtat authenticè. Tuentur igitur utramque ſententiam Viri doctiſſimi: ſed mihi probabilior ſecunda videtur, quam ego ſequor.

---

## RESOL. XXX.

*An quando in Iubilæo conceditur facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, adhuc ſit abſolvendus hæreticus occultus pænitens, & emendatus?*

*Et an hodie Epiſcopi poſſint abſolvere ab hæreſi occulta?*

*Et an Confeſſarius per Bullam Cruciatæ, licet non poſſit abſolvere ab hæreſi occulta, poſſit tamen abſolvere receptatores, fautores, & defenſores Hæreticorum; & legentes, tenentes, & imprimentes eorum libros, & Schiſmaticos, Necromanticos, &c?* Ex part.5. tractat.12. Reſ.35.

Sup. hoc in Reſ. ſeq.

§.1. Affirmativa ſententia ſuaderi poteſt. Primò, quia id neceſſe eſt ad finem lucrandi pleniſſimam Indulgentiam à Summo Pontif. omnibus Chriſti fidelibus conceſſam, alioquin multi deſtituti eſſent neceſſaria facultate ad ſe diſponendum pro ejus receptione, ac proindè rectè dici poſſe videtur quòd intentio Papæ ſit per illam exceptionem velle excludere à beneficio abſolutionis ſolùm hæreticos notorios, ſeu declaratos, & nominatim denunciatos quorum crimen cùm non contingat niſi publico ſcãdalo aliorum fidelium, meritò etiam in Iubilæis reſervatur ipſi Papę, nec indiſtinctè committitur omnibus Confeſſariis approbatis, quia ad ſui curam indigent peritioribus. Secundò, quia hoc pacto intellecta prædicta exceptio aliquid operatur ultra illam. Non tamen hæreticos declaratos, &c. nam excludit omnes hæreticos notorios & publicos, licèt non ſpeciatim declaratos & denunciatos. Demum, quia hæreſis occulta eſt unum ex delictis in jure reſervatis Epiſcopo, à quo per *c.6* Conc. Trid. *ſeſſ.24. de refor.* quilibet Epiſcopus poteſt abſolvere, ſi pœnitens velit reſipiſcere: ergo quando in Iubilæo conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, hæreſi excepta, cenſetur etiam conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, quia non videtur eſſe intentio Papæ velle in Iubilęo univerſaliſſimo & pleniſſimo excludere crimen, quod ipſis locorum Ordinariis in jure permittitur, præſertim cùm illa generali facultate abſolvendi à reſervatis Papæ etiam à caſibus Bullæ, comprehendantur etiam caſus à jure, ſive ab homine Epiſcopis reſervati. Et hæc omnia docet pro affirmativa ſententia firmanda Ang. Boſſius *tract. de Iubilæo, ſect.1. caſ.9.n.3.* licet in caſu contingenti dicat, ut Confeſſarius conſulat peritiores, vel adeat ſacram Congregationem.

2. Verùm hæc opinio mihi prorſus non videtur admittenda, nam ſi ſtylus & praxis Romanæ Curiæ hodie non admittit abſolutionem ab hęreſi occulta, etiam quando illa non excepta conceduntur in Iubilæis caſus Bullæ Cœnæ, quanto magis non poterit Confeſſarius ab hæreſi occulta abſolvere, ſi in Iubilæo crimen hæreſis exciperetur. Sed hodie an Epiſcopi poſſint abſolvere ab hæreſi occulta, vide Doctores, quos ego citavi *in 1.p.tr.5. reſ.2.* quibus nunc addo Trullench *in Bulla Cruc.lib.1.§.7.c.2.dub.7.* & Ludovicum à Cruz etiam *in Bulla Cruc. diſp.1.c.3.dub.7.* qui docent per Bullam Cruciatæ, licèt Confeſſarius non poſſit abſolvere ab hæreſi occulta, poſſe tamen abſolvere receptatores, fautores, defenſores hæreticorum, legentes, tenentes, & imprimentes eorum libros, Schiſmaticos, Necromanticos, &c. quia hi non ſunt formaliter hæretici, quod etiam docet Boſſius *ubi ſup.caſ.8. n.4.* ſed de hoc vide etiam me ipſum *loco cit.reſ.7.*

Quæ hîc eſt ſup. Reſ. 15. & in aliis ejus primæ not.

Sup. hac abſolutione in Reſ. not. ſeq. &c.

Quæ hic eſt inf. Reſ. 32. & in aliis ejus primæ, & ſecundæ annot.

---

## RESOL. XXXI.

*An ſi in Iubilæo concedatur facultas abſolvendi à contentis in Bulla Cœnæ excepta hæreſi, poſſit adhuc Confeſſarius hæreticum occultum abſolvere?*

*Et ex doctrina hujus quæſtionis infertur, an Confeſſarius vi Bullæ Cruciatæ pluries poſſit abſolvere pœnitentem à caſibus Papæ reſervatis, ſed occultis?*

*Et an hodie Epiſcopus poſſit abſolvere ab hæreſi occulta vigore Concilij Tridentini ſeſſ.24.cap.6?* Ex p.8.tr.7. & Miſc.Reſ.67.

Sup. hoc in Reſ. præterit.

§.1. Aliqui affirmativè, ut alibi adnotavi, reſpondent, & hanc ſententiam probabilem eſſe putat noviſſime Oliverius Mazuchellus *tr. de caſ.reſerv. diſput.1.quæſt.4. diffic.6. num.13.* *Primò*, quia odia ſunt reſtringenda; cùm ergo exceptio hæc ſit odioſa, ea videtur reſtringenda ad hæreticos publicos, vel denunciatos; ſic enim exceptio hæc aliquid operatur, quod non operaretur prior, in qua excipiuntur ſoli hæretici declarati, & nominatim denuntiati; per hanc verò hæretici omnes publici, licèt non ſpeciatim declarati, & denuntiati. *Secundò*, quia reſtrictio hæc videtur eſſe neceſſaria ad finem lucrandi pleniſſimam indulgentiam à Summo Pontifice conceſſam, alioqui multi eſſent deſtituti neceſſaria facultate ad ſe diſponendum pro ejus receptione, cùm præſertim optimè ſalvari poſſit mens Pontificis, ſi intelligatur per illam clauſulam velle excludere tantùm publicos hæreticos, & declaratos, quorum crimen meritò reſervetur ob publicum ſcandalum aliorum fidelium. *Tertiò*, quia in probabili ſententia, quam ſuſtinent Vela *de pæn. delictor. cap. 14. verſ. jure verò Canonico.* Cord. *in ſumma, quæſt.8. punct. 1.* Angles *de flor. part.1. ubi de conf. quæſt.4. artic.5. diffic.6.* Catan. *in ſumm. verb. Epiſcop. §. Epiſcopi quos Spirit.ſanct. caſ.10.* Navarr. *in ſumm. cap. 27. num.260.* Gutier. *quæſt. can. lib. 1. cap.13. ad finem.* Henriquez *lib. 6. de pænitent. cap.14. num.7.* eandémque probabilem eſſe fatentur Suar. *5. tom. in 3. part. diſput. 25. ſect.3. num.5.* Sanch. *in ſum. lib 2. cap.11. num.27.* poteſt Epiſcopus abſolvere ab hæreſi occulta virtute Concil. Trident. *cap.6. ſeſſ.24. de reformat.* concedentis cuilibet Epiſcopo, ut poſſit abſolvere à caſibus occultis Papæ reſervatis, quam ſententiam ſuſtinent citati DD. nõ obſtãte ultima Bullę Cœnæ clauſula, in qua habetur, ut à caſibus ibi expreſſis nulla perſona etiam Epiſcopali dignitate prædita, poſ-

Sup. hoc tertio ſup. in Reſ.15.16. & in fine Reſ. 18. & in Reſ. 30. §. ult. ante med. & in tom. 9. tr.7. Reſ. 117. §. Nec obſtat. dicere, quod Bulla Cœnę.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſit abſoluere prætextu cujuſcumque facultatis, etiam per cujusvis Concilij decreta in genere, vel in ſpecie conceſſa, eo quòd clauſulam hanc intelligant derogare tantùm facultatibus, quæ concedunt abſolutionem caſuum Bullæ quando publici ſunt; cum ergo hæreſis occulta ſit unum ex peccatis à quibus Epiſcopus poteſt abſoluere, porrò optimè intelligere poſſumus, quando Summus Pontifex in Iubilæo concedit facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis (hæreſi excepta) exceptionem hanc eſſe tantùm de eo peccato hæreſis, à quo ſolus Papa poteſt abſoluere quale eſt peccatum hæreſis publicæ, cùm enim reſtrictio hæc ſit odioſa, ea eſt limitanda, ſi verba talem limitationem patiantur. Atqui reſtrictio hæc optimè poteſt alligari ſoli abſolutioni hæreſis publicæ. Ergo ſolùm reſpectu hujus negabitur in Iubilæo facultas abſoluendi.

Sup. hoc latè in to. 3. tr. 3. Reſ. 38. 39 & 40. & in aliis earum notationũ. & in to. 9. tr. 7. ex lata doctr. Reſ. 121. §. Arguitur tertio, &c.

2. Et ad hoc videtur facere quod habet Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27.* quo loco intendit probare, Confeſſorem poſſe vi Bullæ Cruciatæ pluries abſoluere pœnitentem à caſibus Papæ reſervatis, ſed occultis, quia videlicet Bulla excipit quidem caſus Pontifici reſervatos, ita ut non liceat ab illis abſoluere toties, quoties, ſed tantùm ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: ſed quando hi caſus ſunt occulti, jam non ſunt caſus, reſervati Summo Pontifici, ſed jure ordinario, non verò ſpeciali competunt Epiſcopis, & annexi ſunt dignitati Epiſcopali; cùm autem Bulla Cruciatæ concedat abſolutionem à reſervatis Epiſcopo toties, quoties, dicendum etiam eſt eam concedere abſolutionem à caſibus Papalibus occultis toties, quoties, ex eo quòd per Concil. Trident. caſus Papales occulti non ſint Papales, ſed Epiſcopales: quia licèt caſus Papales non deſinant eſſe tales, eò quòd Pontifex illos concedat aliquoties Epiſcopo: imò licet illos ſemper concedat Epiſcopo ſpeciali, at deſinunt eſſe Papales per generalem conſtitutionem concedentem eos in perpetuum cuilibet Epiſcopo.

3. Idémque habet Ægidius Trullench *in Bulla Cruciata, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. num. 3.* ubi ſic ait: Bulla enim ſolos caſus Pontifici reſervatos excipit, ne liceat ab illis abſoluere toties, quoties. At caſus occulti non ſunt caſus Papæ reſervati, ſed competunt Epiſcopis, non ex aliqua delegatione ſpeciali, ut exiſtimat Henriquez, ſed jure ordinario ſunt perpetuò adnexi dignitati Epiſcopali, neque exigitur induſtria perſonæ Epiſcopi, aliter enim ita eſſent perſonales, ut eos delegare non poſſet, quod eſt falſum. Ergo eis talis facultas competit jure ordinario, & eo jure caſus Papales, ſi occulti ſint, cenſentur caſus Epiſcopis reſervati. Quam ſententiam ita confirmat ex Sanchez, ſuperiùs citat: quia licèt caſus Epiſcopales non deſinant eſſe tales per conceſſionem peculiarem factam ab Epiſcopo: at deſinerent eſſe ſi conſtitutione ſynodali Parochis omnibus concederent, & ſolis illis reſervati eſſent; ergo ſimiliter licèt, caſus Papales non deſinant eſſe tales, eò quòd illos ſemel, aut iterum Pontifex concedat Epiſcopo, imò licèt ſemper illos concedat Epiſcopo ſpeciali: at deſinunt eſſe tales per generalem conſtitutionem concedentem eos in perpetuum cuicumque Epiſcopo, ut factum fuit in Tridentino reſpectu caſuum Papalium occultorum.

4. Ex quibus videtur poſſe inferri, cùm hæreſis occulta ſit caſus Epiſcopalis, ex eo quòd illius abſolutio jure ordinario competat Epiſcopis: quoties Papa in Iubilæo concedit abſolutam facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Epiſcopalibus, & à caſibus Papalibus excipit hæreſim, exceptionem intelligendam eſſe de hæreſi, quæ eſt caſus Papalis, id eſt, de hæreſi publica. Et hæc omnia docet Mazuchellus *ubi ſuprà*, licèt poſtea aſſerat in praxi contrariam ſententiam conſulendam eſſe; ſed ego prorſus puto affirmativam ſententiam improbabilem eſſe, & Confeſſarium, illam in praxi deducendo, eſſe in noſtro S. Tribunali Inquiſitionis puniendum. *Primò*, quia Epiſcopi vigore Tridentini non poſſunt ampliùs ab hæreſi occulta abſoluere. *Secundò*, quia cùm Pontifices in Iubilæis abſolutè excipiant hæreſim, tollunt Confeſſariis omnem facultatem circa hæreticos, ſive publici ſint, ſive occulti, & contrarium aſſerere, eſt in luce meridiana velle cæcutire.

---

## RESOL. XXXII.

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſoluere à caſibus contentis in Edicto Dominorum Inquiſitorum, hæreſi tamen excepta?*

*Et an Confeſſarius poſſit per Cruciatam abſoluere tantum ſemel in vita, & ſemel in morte ab omnibus caſibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ?*

*Et an vero malefici, ſortilegi, ſolicitantes in confeſſione, blaſphemantes hæreticaliter, & ſimiles alij poſſint abſolui toties, quoties?*

*Et quid de Epiſcopis in ſupradictis caſibus?*

*Et an virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Confeſſarius abſolvere fœminam ſollicitatam, quæ non denunciavit, ſi poſtea denunciet?* Ex p. 1. tr. 5. Reſ. 7.

§. 1. RESpondent aliqui, omnia ſupradicta intelligenda eſſe de crimine hæreſis formaliter, non autem de aliis criminibus ſpectantibus ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis ut ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio Dæmonum, ſolicitatio in Confeſſione, blaſphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defenſio eorum, & ſimilia: nam in hujuſmodi delictis, & ſimilibus, ſi aliquis non habeat errorem in intellectu, & credat omnia ab Eccleſia determinata; ſed crimina illa committat tantùm exteriùs ob iracundiam, vel ob ſenſualitatem, vel ex aliquo alio motivo, is utique (aſſerunt) poterit à quocumque Confeſſario, virtute Bullæ Cruciatæ abſolui. Et probatur: nam ſupradicta Bulla concedit omnes caſus excepta hæreſi: ſed dicta crimina non ſunt formaliter hæreſis: ergo poterunt à tali Confeſſario abſolui.

Sup. aliquibus caſibus ex cõtentis in hoc & ſeq. ſup. in fi. Reſ. 30. & inf. in tr. 5. Reſ. 21. § ... & in tom. ... tract. 3. ... doctr. Reſ. 41. per ... & ex Reſ. 41. §. 2. & 3.

2. Et ita ſecundùm Henriquez *lib. 6. cap. 16. num. 2.* Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. libri prohibiti, numero* 14. Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 2. cap. 12. n. 12.* Duardum *in Bulla Cœnæ, lib. 3. §. 2. quæſt. 8. & quæſt. 11. num. 47.* Farinacium *de hæreſi, quæſt. 180. num. 8.* Acoſta *in Bulla Cruciatæ, quæſt. 63. concluſ. 4.* Suarez *tractat. de fide, diſput. 24. ſect. 1. num. 11.* & alios, Confeſſarius virtute Cruciatæ poteſt abſoluere ab omnibus caſibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi.

3. Notant etiam, quòd à ſupradictis caſibus, contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ, Confeſſor poteſt tantùm per Cruciatam abſoluere ſemel in vita; & ſemel in morte, ut notavit Sanchez *ubi ſuprà, & c. 30. num. 17.* cum aliis. At malefici, ſortilegi, ſollicitantes in Confeſſione, blaſphemantes hæreticaliter, & ſimiles alij poſſunt abſolui virtute Cruciatæ toties, quoties: quia talia, & ſimilia delicta non includuntur in primo Can. Bullæ Cœnæ, dummodo, ut diximus, non habeant ſupradicti errorem in intellectu, quia ſic, eſſent Hæretici formaliter: & ita notavit Filliucius *to. 1. tract. 16. cap. 3. num. 49.* Altherius *de cenſ. ubi ſuprà*, & Suarez *in 3. part. tom. 5. diſp. 21. ſect. 2. num. 14.* ubi ſic aſſerit: [Nec propter pactum cum Dæmone, nec propter alia peccata ad Tribunal Inquiſitionis ſpectantia, propter ſuſpicionem hæreſis, vel ſuperſtitionem Religionis, hæc cenſura Bullæ Cœnæ incurritur: quia hæ

Sup. his, ... contentis ... hoc §. ... Reſ. 1. ... præterit... ejus fin... à verſ. ... docent ... Reſ 4 ... annot. ... §. Sed ... bris.

hæreſis non ſunt. Regulariter enim in his, ut notavit etiam Filliucius, *ubi ſuprà*, non intervenit error in fide, ſed potiùs ex aliqua paſſione efficiuntur. Vide etiam Freitas *in addit. ad tract. de Confeſ. ſollic. quæſt. 21. n. 31.* Ortiz *in ſumma, cap. 24. n. 11.* quia aſſerunt, poſſe Confeſſarium abſoluere fœminam ſollicitatam, quæ non denunciavit, ſi poſtea denunciet; & hoc virtute Bullæ Cruciatæ. Delrius etiam *in diſq. mag. p. 3. lib. 5. ſect. 17.* aſſerit, virtute ejuſdem Bullæ, quæ concedit caſus Bullæ Cœnæ, poſſe Confeſſarium abſoluere legentes libros magicos: quod etiam docet Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 96. art. 4. diſp. 5. in fin.* Giptius de veneficiis, & ſortilegiis, & ſimilibus, abſolutè loquendo *in tract. de caſ. reſerv. c. 6. n. 84.* ita ait: Prudens Confeſſor, habens facultatem abſoluendi ab his caſibus, conſiderabit, ſit néc ne pœnitens verè hæreticus: nam etſi quodcumque prædictorum, quantumcumque manifeſtam hæreſim ſapientium, fecerit, ſi revera non ſit hæreticus, abſoluat illum; quidquid ſit futurum coram Inquiſitore, ſi res aliquo futuro tempore detegeretur. nam talis abſolutio non patrocinatur in foro exteriori.] ita ille.

[S]up. hoc inf. [t]r. 3. in fin. [Re]ſ. 18. & in [Re]ſ. 23.

[S]up. his libris Magicis [...] in fin. [R]eſ. 30 lege à [v]erſ. qui docent.

4. Vnde ex opinione dictorum DD. apparet, quòd ſtando etiam in opinione illorum, aſſerentium, fuiſſe Epiſcopis ablatam poteſtatem abſoluendi ab hæreſi; dicendum eſt tamen, poſſe Epiſcopos, hoc non obſtante, abſoluere à ſortilegiis, maleficiis, blaſphemiis hæreticalibus, & aliis delictis ſapientibus hæreſim; dummodo non adſit error in intellectu talia perpetrantium: nam, licet hæc omnia ſapiant hæreſim, non ſunt tamen hæreſis formaliter. Et ita in terminis obſervat Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. cap. 6. q. 31. in fine*, & ante illum Franciſcus Leo *in theſ. fori Eccl. p. 3. cap. 37. n. 47.*

5. His tamen non obſtantibus, non deſunt DD. contrarium aſſerentes; nempe, ſub nomine hæreſis includi alia delicta contenta in Edictis Inquiſitorum. Et ita docet Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. §. 16. ſect. 1. num. 1.* Turrian. *tom. 1. in 2. 2. diſp. 56. dub. 2.* Altherius *de cenſ. tom. 1. lib. 5. diſputat. 2. cap. 9. in fine.* Azorius *tom. 2. lib. 8. cap. 19. quæſt. 9.* Ledeſma *in ſumma, tom 2. tract. 1. cap. 6. in fin.* & alij. Sed reſtat videre, an in ſupradictis delictis Regulares vigore ſuorum privilegiorum, habeant poteſtatem abſolvendi.

---

## RESOL. XXXIII.

*An Regulares virtute ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere ſæculares à caſibus contentis in Edicto Dominorum Inquiſitorum, dummodo excommunicationes non proveniant ex hæreſi formali, vel ex aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ?*

*Et an ſit abſoluendus Hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negativus, ſi antea publicè non fatetur?* Ex p. 1. tr. 5. Reſ. 8.

§. 1. RESpondent aliqui, quòd Regulares, virtute ſuorum privilegiorum, poſſunt abſoluere ſæculares ab omnibus excommunicationibus contentis in Edicto Dominorum Inquiſitorum, dummodo tales excommunicationes non proveniant ex hæreſi formali, vel ex aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ.

2. Probatur hæc ſententia, primò ex privilegiis: & ideò *in noſtro Comp. tit. Abſolutio, quoad ſæculares. §. 1.* ſic habetur. [ Omnes Confeſſarij noſtræ Congregationis, approbati juxta formam Concilij Tridentini, habent facultatem abſoluendi quoſcumque Chriſti fideles, undecumque venientes à quibuſlibet peccatis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis, & à quibuſcumque cenſuris, ſententiis, & pœnis Eccleſiaſticis ex illis reſultantibus; præterquam ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini.] Hæc ſunt verba privilegij: ubi pondera illam conjunctivam dictionem, *etiam*, quæ demonſtrat, non ſolùm Regulares poſſe abſoluere à reſervatis Sedi Apoſtolicæ; ſed etiam à reſervatis cuicumque inferiori Papæ

[S]up. hoc in [t]om. 7. tr. 1. [R]eſ. 298. §. [a]d cōtrariā. [pr]opè fin. à verſ. Per quod Papa. & in aliis ejus annot.

3. Secundò, probatur ex illo communi axiomate, quod habetur *in regula juris, in 6.* Cui licet, quod eſt plus; licet utique quod eſt minus: ſed plus eſt abſoluere à reſervatis Papæ, quàm à reſervatis Inquiſitoribus: ergo, &c.

4. Tertiò, probatur ex illa communi doctrina, in materia de cenſuris, nempe, excommunicationem, ab homine abſolvendam eſſe ab illo, qui eam tulit, vel ab illius Superiore, vel ab illo, qui fuit ad id legitimè delegatus: ſed Regulares, ut *ſuprà* probatum eſt, habent poteſtatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, à quibus Pontifex poteſt abſoluere; & Pontifex poteſt abſoluere à cenſuris latis per Dominos Inquiſitores: ergo ab illis poterunt etiam abſoluere Regulares, qui habent juriſdictionem delegatam à Summo Pontifice illis generaliter conceſſam, exceptis cenſuris in Bulla Cœnæ contentis. Et ita in terminis hanc ſententiam docet doctiſſimus Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. ſollicitare fœminas, n. 24.* & Freitas *in addit. ad tract. de Confeſ. ſollic.* Epiſc. Roder. Acugna, *q. 21. n. 31.* Sed ego in hac quæſtione de meo nihil dico, & nihil pono: ſolùm refero, quid alij dixerunt.

Sup. hoc ſup. in lin ult. §. 1 hujus Reſ. & magis latè inf. in Reſ. 39. &c.

5. Pro coronide verò hujus diſputationis ponam hic pulchrum dubium, & eſt; An ſit abſoluendus hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negativus, ſi anteà non fateatur veritatem publicè? Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 10.* putat, non eſſe abſoluendum; ut ex hoc ſcandalum ceſſet. Non reticebo tamen Portel. *ubi ſuprà, in addit. ad dub. regul. ver. Reus, numero 3.* adverſus Sanchez contrarium docere: & quia Codex rarus eſt, ponam ejus verba, quibus aſſerit: [ Iſta doctrina dura mihi videtur; neque illam reperi apud aliquem Doctorem: neque Sanchez ullum citat; neque video, quare non militent pro iſto reo hæretico, ad illum ſic non obligandum, rationes pro excuſandis aliis reis non hæreticis, maximè cùm in reo hæretico violentius ſit, & magis infame veritatem publicè fateri. Quod verò attinet ad ſcandalum quod putat Sanchez dari ab hæretico negativo, dici poteſt non inde ſuſcipi ſcandalum, cum omnes ſciant ſolere eos negare, & ſimul ſciant illum poſſe verè confiteri ſacramentaliter in articulo mortis. Et idem ſcandalum ſuo modo ſuſcipi poteſt de aliis reis negativis ductis ad patibulum. Adde, quòd hoc non videmus fieri à Confeſſoribus doctis comitantibus reos hæreticos ad combuſtionem.] Ita Portel. Et hæc dicta ſufficiant pro præſenti quæſtione, quæ omnia ex probatiſſimis Authoribus deſumpta ſunt maximè ex Theologis Hiſpanis, quorum libri approbati fuerunt communi calculo Sancti Officij, & ab Illuſtriſſimis Inquiſitoribus, quibus hæc ſcripta, & alia in poſterum à me ſcribenda, humiliter & ex corde ſubmitto.

Sup hoc ſup. in Reſ. 27.

---

## RESOL. XXXIV.

*An Prælati Regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta?*

*Et an Provinciales ſubdelegare hanc facultatem in caſibus particularibus poſſint?*

*Et quid, circa ſupra dictam primam difficultatem Sacra*

Cardi

*Cardinalium Congregatio ſub die 17.Novembris 1628. declaraverit?* Ex p.1.tr.5.Reſ.6.

Sup. hoc in tribus Reſ. ſeq. & in quarta,in fin.

§.1. RESpondent aliqui, poſſe Prælatos regulares abſolvere ſubditos ſuos ab hæreſi occulta. Probatur ex privilegio Pij V. apud Bullarium Rodriquez *fol.*920. de quo facit mentionem Portel.*in dub. regul.verb.Abbas*, *num.*6. Sanchez *de matrimon.tom.*2. *lib.*8.*diſp.*2.*n.*3. Suarez *in* 3.*p.tom.*4.*diſp.*36.*ſect.*2. *n.*7. ubi tribuitur Prioribus Dominicanis, ac proinde aliis regularium Communitatum Superioribus erga ſuos ſubditos, in foro conſcientiæ tantùm, & per ſe ipſos tamen,omnis facultas abſolvendi,& diſpenſandi,quam habent Epiſcopi vigore Concilij Trid. *ſeſſ.*23.*cap.*6. erga ſuos ſubditos:ſed Epiſcopi,ut *ſuprà* viſum eſt, ſecundùm mentem aliquorum Doctorum,poſſunt etiam modò abſolvere ab hæreſi occulta:ergo poterunt etiam Superiores regulares.

2. Et ideò Suarez *de Relig. tom* 4. *tract.*9. *lib.*2. *capite* 20. *num.*11. & Coriolanus *de caſ.reſerv.p.*1.*ſect.*1. *art.*23. *num.*6. aſſeruit, quòd ſi authoritas Epiſcoporum revocata non eſt per Bullam Cœnæ, poſſunt ſine dubio Superiores Regulares ex dicto privilegio Pij V. hæreſim occultam abſolvere: quia extenſio Pij V generalis eſt quoad omnes facultates: ſed *ſuprà* probabiliter ab aliquibus Doctoribus ſatis ex multis rationibus fundatum eſt, authoritatem Epiſcoporum per Bullam Cœnæ non fuiſſe ſublatam:ergo in vigore remanet privilegium Pij V.& per conſequens virtute illius poteſt quilibet Superior regularis,ſicut Epiſcopi, abſolutionem ab excommunicatione hæreſis occultæ ſubditis ſuis impertiri. Non tamen approbo opinionem Megalæ *in* 1.*p.lib.*1. *cap.*13. *n.*10. ubi videtur docere, poſſe Regulares uti dicto privilegio Pij V. non obſtante, quod facultas tributa Epiſcopis fuerit ex vi dictæ Bullæ Cœnæ ſublata: non inquam, approbo hanc ſententiam: quia Pius V. in illo privilegio non vult, ut Regulares in hac parte habeant majorem juriſdictionem,quàm Epiſcopi; ſed tantùm ut non ſint pejoris conditionis: ergo, ſi eſſet ſublata authoritas Epiſcoporum, eſſet per conſequens Regularium facultas ſuſpenſa.Et ita docet Suarez *ubi ſuprà de Relig. tom.*4.*lib.*2.*cap.*21. *n.*10.

Supra in Reſ. quæ hic eſt, 15.& in aliis ejus not. & ſignanter ſecundæ.

3. Sed dices primò, dato, & non conceſſo, quòd Epiſcopi nunc poſſint abſolvere ab hæreſi occulta, negatur,poſſe Regulares ex dicto motu Pij V.nam per Bullam Cœnæ omnia privilegia derogantur: & ita, hoc privilegium fuiſſe in Bulla Cœnæ derogatum, cenſet Suarez *ubi ſuprà*, cum Portel. *in dubiis regul. verb.Abbas*, *num.*11.

4. Sed ego contrariam ſententiam probabilem eſſe exiſtimo, quæ aſſerit, Bullam Cœnæ non derogare Regularium privilegiis. Primò, quia fruſtra innovarentur, ut ab unoquoque Pontifice fieri ſolet, ſi in die Cœnæ ab ipſiſmet Pontificibus forent revocanda. Secundò, quia in clauſula Bullæ Cœnæ non prohibetur abſolvere ratione privilegiorum, ſed eorum prætextu: prætextus autem non excludit illud, quod fit legitima facultate interveniente: ſed illud, quod ſub aliquo velamine exercetur. Et ſecundùm hanc expoſitionem intelligenda ſunt illa verba ejuſdem Bullæ Pij V. *concedendorum,& innovandorum.* Et ita docet in terminis Souſa *in Bulla Cœnæ,c.*23. *diſp.*100. *concl.*7. *n.*3. & Peirinus *de privil. Minimorum,tom.*1.*Conſtit.*4.*Sixti IV.* §.5.*n.*6.*& ſeq.* & Villalobos *in ſumma, p.*1.*tract.*9. *diſp.*41. *n.*5. cum aliis, quidquid in contrarium aſſerant aliqui.

Sup. hoc inf. in Reſ.36.§. At revocantur, in princ.

Sup hoc prætextu ibid.& in eodem §. poſt med. à verſ.Quatto & in aliis ejus not.

5. * Adde etiam, quòd Greg. XIII. anno 1584. die 18. Martij, indulſit Patribus Societatis IESV, ut conceſſiones illis factæ non cenſeantur per Bullam Cœnæ revocatæ, ut habetur *in Compend. ejuſdem Societatis, verb.Bulla Cœnæ*,§.2.Et notavit Suares *de Relig.tom.*4. *tract.*10.*lib.*9.*cap.*20.*n.*18. & Portell.*in dub. regul.ver. Bulla Cœnæ, n.*2. Sed cùm noſtra Religio, & communiter omnes aliæ, per commmunicationem gaudeant ſupradicto privilegio:ergo, non obſtante derogatione Bullæ Cœnæ, poſſunt uti eorum privilegiis, quaſi ſemper à Summis Pontificibus innovatis; & denuò conceſſis, quia ex privilegio Greg. XIII. per Bullam Cœnæ non revocantur.

* Sup. hoc in Reſ.36.§. At revocantur ad med. & in Reſ.37. §. quid:ſed leg. cōtrariū

6. Inſtabis rurſus, non poſſe Regulares per dictum privilegium Pij V. abſolvere ab hæreſi; quia in dicta conceſſione non fit ſpecialis mentio de hæreſi; & in nulla generali conceſſione cenſetur hæreſis abſolutio comprehendi, niſi ſpecialiter exprimatur,ſicut virtute Iubilæi non abſolvitur hæreſis:& ita Sanchez *in ſumma, tom.*1. *lib.*2. *cap.*11. *num.*7. Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap.*5. *dub.*1. *num.*9. docent in dicto privilegio Pij V. hæreſim non eſſe comprehenſam, & Regulares, virtute talis privilegij, illam abſolvere minimè poſſe.

7. Sed reſpondeo cum Suarez, *ubi ſupra,tom.*4. *de Relig.lib.*2. *cap.*20. *num.*10. *&* 11. Portell. *in dubiis regul.verb.Abbas,n.*6. & aliis,hæreſim in illo privilegio comprehendi. Et ratio eſt:quia quando Pontifices volunt à generali aliqua conceſſione hæreſim excipere, illam nominatim excipiunt, ut patet in conceſſione facta à Greg.XIII. Fratribus Sancti Bernardi, in Hiſpania apud Portell. *ubi ſuprà*,& in aliis Bullis. Ergo, dum non excipiunt, videntur illam concedere. Deinde in Bulla Pij V. expreſsè conceduntur caſus conceſſi Epiſcopis *in cap.*6. *Trid.* ubi ſpecialis mentio fit de hæreſi: adde quòd, ut etiam probabiliter diximus, in Iubilæo non exprimitur hæreſis, & tamen per generalem conceſſionem caſus Bullæ Cœnæ Doctores probatiſſimi aſſerunt, poſſe Confeſſarium virtute illius, hæreticos occultos abſolvere.

8. Plus addam. Etiam ſecluſo privilegio Pij V. Patres Societatis IESV aſſerunt,ex privilegio Greg.XIII. poſſe eorum Generales,& Provinciales abſolvere ſuos ab hæreſi occulta. Ita habetur *in Compend.Societ.*§.7. *&* 8. & hoc etiam docent Ortiz *in ſumma c.*5.*num.*29. & Peirinus *de privileg. Minimorum,tom.*1. *Conſtitut.*4. *Sixti IV.* §. 5. *numero* 20. Suarez, *de Relig. tom.*4. *tractat.* 10. *lib.*9.*cap.*2. *num.*17. docet poſſe Provinciales ſubdelegare hanc facultatem in caſibus particularibus, non autem generaliter concedere alicui, niſi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipſe poterit concedere extra Hiſpaniam, ubi judicaverit expedire. Et hanc etiam poteſtatem habere Generalem noſtræ Religionis, notavit vir doctiſſimus & amiciſſimus, P. Peregrinus *in Compend. privileg. p.*2. *tit.abſolutio*, §.2.

9. Notandum eſt etiam, quòd *in Societatis Compendio, ver. Bulla Cœnæ*, §.8. & apud Portel. *in dub. regul. ver. hæreſis*, *numero* 2. conceſſit Minoritis Alexander VI. facultatem abſolvendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta: & verba dicti privilegij invenies penes Villalobos *ſumma tom.*1. *tract.*9. *dub.*61. *num.*9. *in fin.* quibus quidem omnibus privilegiis noſtra Religio, & ferè omnes, per communicationem gaudebunt.

10. Sed, his minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam ſequendam eſſe exiſtimo. Dico igitur cum Megala *conſil.* 21. *num.* 6. & Novario *in ſingul. conc.*3. *num.*10 Prælatos regulares,non poſſe abſolvere ſubditos ſuos ab hæreſi occulta. Et de hac opinione ampliùs non eſt dubitandum, cum noviſſimè ita declaratum ſit per Sacram Cardinalium Congregationem, ſub die 17. Novembris,1628. Sed, quid faciendum,ſi caſus accideret? Reſpondeo, poſſe talem Regularem hæreticum occultum,non ſolùm ab Inquiſitore abſolutionem obtinere;ſed ex licentia Superioris ſe ſubjicere Epiſcopo, & ab illo, ſecundum opinioné

DD.

DD. *ubi ſuprà in reſol.* 2. abſolutionem ab excommunicatione occultæ hæreſis impetrare,ut docet Sanchez *in ſumma tom.*1. *lib.*2 *cap.*11. *num.*10. *& lib.*4. *cap.*39. *num.*32.*&* 33. cum Finellio *tract. de caſ. reſerv. cap.*7. *num.*6. Et hoc procederet etiam, quando talis Prælatus injuſtè denegaret licentiam petitam:nam per epiicheiam debemus credere voluntatem Papæ, & Religionis eſſe, ut Epiſcopus in eo eventu talem Religioſum exemptum abſolvat. Ita Pontius *de matrim. lib* 8. *cap.*5. *numero* 14. Molina *de juſt. tom.*4.*tract.*3. *diſp.*61. *num.*5. & alij. Vide etiam Sanchez *in ſumma*, *tom.*1. *lib.*4. *cap.*39. *num.*36.& Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſput.*30.*ſect.*2.*num.* 3. quidquid in contrarium adverſus illum aſſerat noſter Megala *in* 1.*part.lib.*1.*cap.*13. *num.*10.

---

## RESOL. XXXV.

*An Prælati Regulares poſſint abſoluere ſubditos ab hæreſi occulta?* Ex p.3.tr.2.Reſ.122.

Sup. hoc in Reſ. præt. & in duabus ſequentibus.

§.1. PEregtinus *in compendio noſtrorum privilegiorum part.* 2. *tit. Abſolutio quoad fratres*, §. 2. affirmativè reſpondet ex privilegio, Gregorij conceſſo Societati Ieſu die 18. Martij 1584. & hoc procedere etiam in Hiſpania teſtatur.

2. Verùm de hac facultate, præſertim in Hiſpania, per conſequens in Regno Siciliæ valdè dubitat Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. reſol.* 3.*n.*5. & abſolutè non poſſe Superiores regulares abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta docet Tamburinus *de jure Abbatum, tom.*2. *diſp.*14. *quæſt.*17.*num.*3. Megala *conſ.*21.*num.*6. Novar. *in ſing. jur. Pont. concl.*3. *n.*10. Avila *de cenſur. part.*7. *diſp.*10. *dub.*6. *not.* 3. Vega *in ſumma tom.*2.*cap.*125. *caſ.*12.Sanchez *in ſumma tom.*1. *lib.*2.*cap.*17.*num.*7. & hoc hodie non eſt dubitandum, ut ego obſervavi *in tract. de abſolutione ab hæreſi reſ.*6. per decretum Vrbani VIII. datum Romæ die 17. Novembris 1628. in quo revocantur in ampla forma omnia privilegia Regularium abſoluendi à caſibus contentis in Bulla Cœnæ,ut eſt hæreſis,&c.Vnde corruunt omnia argumenta, quæ ego in dicta reſolutione pro opinione affirmativa adducebam. Adde quod privilegium Gregorij XIII. habet etiam difficultatem, per aliud privilegium ejuſdem Gregorij, ut adverſus Peregtinum obſervat Alphonſus de Leone *de offic. & poteſt. Confeſ.tom.*2.*recoll.*11.*n.*209.

Quæ nunc eſt antecedens, & in aliis not. 1. hujus Reſ.

---

## RESOL. XXXVI.

*An Superiores Regularium poſſint illos abſoluere ab hæreſi occulta?*

*Et an Epiſcopi poſſint etiam ab hæreſi occulta abſoluere?* Ex p.6.tr.7. & Miſc.2.Reſ.63.

Sup. hoc in Reſ.ſeq.& in duabus præcitis.

§.1. AFfirmativam ſententiam noviſſimè nominatim contra me docet Stephanus Bauny *in Theol. mor. p.*1. *tract.*4. *q.*32. ex tribus fundamentis. Primum. Quod æquitati naturali alienum videtur, ut Regulares remedio ad ſalutem neceſſario careant, carerent autem ſi lapſi reſurgere, ligati ſolui, excluſi per hæreſim ab Eccleſia ad eam revocari, ac admitti per Superiores ſuos non poſſent:oportuit ergo ad eos authoritate præſtare, ne quid eis ad commiſſæ ſibi plebis regimen deeſſet, quo eos privatos eſſe jure queratur.

Sup.hoc ſup. in Reſ. 34. initio, & ibi §. ideo. in princ. & ſeq. verſ.

2. Secundum. Quod à Pio V. conceſſum ſit Provincialibus, Præpoſitis, & Prioribus Ordinis S. Dominici, ut quod Epiſcopi, conceſſione Concilij, in cauſa ſubditorum faciunt, hoc illis cum fructu & laude ad ſuorum utilitatem ac commodum, aggredi fas eſſet in foro conſcientiæ, Rodriquez & Candidus *ſuprà*: ergo ut Epiſcopi à ſuſpenſione, excommunicatione, & irregularitatibus occultis, ac non deductis ad forum contentioſum, abſoluere ſuos ſubditos poſſunt vigore Concilij: ita & hi Regulares ſuos, vi conceſſi ſibi privilegij,quod eſt generale quoad omnes facultates ſecundum Suarez *de Relig. tom.*4. *tract.* 9. *lib.*2. *cap.*20. & commune cum Religionibus mendicantium, & aliis quibus Papæ indulgentia, ac beneficio fas eſt in communionem gratiarum admitti,quæ ab eo uni cuipiam earum, ſingulari amoris erga illam argumento conceduntur.

Sup.hoc primo in to.7. tr. 1. ex Reſ. 292. §. Notandum, & in aliis ejus not.

3. Nominatim autem eſt indultum Abbatibus, Prioribus, Præſidentibus,& aliis Prælatis Congregationis S.Benedicti Valliſoletani, ut annis ſingulis prima die Lunæ Quadrageſimæ omnes & ſingulas perſonas Religioſas,ac Donatos,& Eremitas præfatæ Congregationis ſub eorum cura exiſtentes poſſint abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris, & pœnis pro tempore incurſis, etiam in caſibus, &c. Rodriquez *in Bullar.fol.*816. Hujuſcemodi autem privilegij concedendi Regularibus hæc cauſa fuit, quòd alioquin malè illis proviſum foret, ut potè quibus evagandi daretur occaſio, quod non oportuit. Sanè noviſſimis hiſce temporibus hoc ſuæ charitatis monumentum erga ſocietatem noſtram extare Gregorius XIII. voluit, ut ejus Superiores, hoc eſt Generalis & Provincialis abſoluere ab hæreſi occulta,ac ejus relapſu ſubditos ſuos valeant. Compend. Societ. *verb. Abſolutio*, §.3. 7. *&* 8.Ortiz *in ſumm. cap.*5.*num.*29.Peirinis *de privileg. Minim.tom.*1.*Conſtit.*4. *Sixti IV.*§.5.*num.*10. docetque Suarez *de Relig.tom.*4. *tract.*10. *lib.*9. *cap.*2. *num.*17. poſſe Provinciales ex cauſa vices ſuas alteri committere,in caſibus particularibus, non omnibus, niſi ad id facultatem à generali habeant.Sed pace ejus ſit dictum, non videtur hæc neceſſaria : nam qui neſcit, Ordinariis communi jure fas eſſe ſubrogare, ſibi idoneos homines, per quos quæ ſunt officij ſui, provinciæque obeant : at ab Ordinariorum numero Provinciales Præpoſiti removeri nec poſſunt,nec debent: ergo in eorum eſt jure ( niſi fortè cohibitum ſit, ac reſtrictum à Generali ) ejus voluntate, ac licentia non quæſita deſignare hominem, qui ejus voce fungatur per totam Provinciam in abſoluendis ſubditis ab occulta hæreſi.

Sup.hoc ſup. in Reſ.34. §. Plus addam. verſ. Docet poſſe.

4. Tertium fundamentum. Quæ per Concilium Epiſcopis facultas datur remittendi ſubditorum occultam hæreſim, huic per Bullam Cœnæ Domini non eſt derogatum;cujus ſententiæ approbatores ſunt, ac Authores Nugnus *tom.* 2. *addit. ad* 3. *part. q.*8. *art.*5. *dub.*10. Ricciullus *tract. de jur.perſon. lib.*5.*cap.*14.*n.*9. Barboſa *de poteſt.Epiſcop.par.*2. *alleg.*40.*num.*21. Sed Regularibus à Pio V. in perſona Provincialium, ac Priorum Ordinis S.Dominici eſt conceſſum, benignè ac perhumaniter ut agant cum ſuis ſubditis, impertiendo eis abſolutionem ab hæreſi, quæ non eſt nota, eaque demum facere legitimè ut valeant quæ Epiſcopis eſſe permiſſa in diſpenſationum materia Concilium voluit *ſeſſ.*24.*cap.*6.ergo ut his ab excommunicationis & hæreſis vinculo,Diœceſanos abſoluere eſt licitum;ita & illis liberare ſubditos ſuos ab eadem cenſura,& culpa hæreſis,eſt per privilegia ſua permiſſum.

Sup. hac remiſſione ſupra in Reſ. 17 & in aliis ejus primæ not.

5. At revocantur, inquies, quotannis à Pontifice hæc privilegia in promulgatione Bullæ Cœnæ. Non probatur hæc oratio Portellio *in dub.regul.ver. Abbas*, *num.*10. Primò quia beneficium Principis, quale eſt privilegium, decet eſſe manſurum & perpetuum : *de regul. in* 6. *reg.*16. Secundò, quia non eſt credibile Pontificem Regularibus illudere velle: quod tamen faceret, ſi quæ privilegia, cùm ad Eccleſiæ gubernacula vocatur, vult ad poſtulata Regularium rata, his

Sup.hoc ſup. in Reſ. 34 §. ego & etiam ibi à § Adde & §§. ejus. annot & inf. in Reſ.37. §. Quid.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

his vim omnē ac authoritatem ablatam eſſe illicò,cuperet per promulgationem Bullæ Cœnę Domini. Tertiò, quia ut notavit Porrellus *in dub. regul. verb. Bulla Cœnæ,n* 2. Patribus Societatis Ieſu conceſſum à Gregor. XIII anno 1584. ut per Bullam Cœnæ conceſſiones illis factæ minimè revocatæ eſſe cenſeantur. Compend. Societ. *in verb. Bulla Cæn.*§.2. Suarez *de Religion. tom.*4.*tract.*10.*lib.*9.*cap.*20.*num.*18. Quartò, quia in Bulla prohibetur abſolutio caſuum,quos continet, non abſolutè ratione privilegiorum ſed eorum prætextu duntaxat : at prætextus color eſt quæſitus, Budæo interprete *in l. illicitas, ff. de offic. Præſid. & l. ea ſub prætextu. Cod. de tranſact.*& nemo dicitur rebus illis colorem dare,quas legitimè efficit,& cum auctoritate eorum,quibus incumbit eas abrogare aut probare. Ergo cùm Regulares approbante Pontifice abſoluant inferiores ſuos ab hæreſi,quæ non eſt cognita, non id agunt prætextu privilegij,ſed cum poteſtate,& ut res eſt legitimè.

Sup.hoc ſup. in Reſ.34. §. Adde. & in aliis ejus annot.

Sup.hoc prętextu in Reſ. ſeq.§.Secundo.& in alio verſ. ejus not. & melius in to.7. tr.1. Reſ.251. §.2.& in aliis ejus not.

6. Sed hæc ſententia prorſus eſt refellenda ſtante Decreto Sacræ Congregationis facto cum Sanctiſſimo die 17.Novembris 1628.Et Superiores Regulares hanc opinionem ſequentes eſſent ſevere puniendi ab Inquiſitoribus in noſtro Sacro Tribunali. Recognoſce me ipſum non ſolùm in loco citato à Bauny, ſed *in 3. part. tract.2. reſol.*122. Vnde caveant Regulares à ſententia Stephani Bauny, licèt alioquin viri doctiſſimi.

Quæ hic eſt Reſ. antecedēs, & in aliis poſitis in annot.ult. dictæ Reſ.

---

## RESOL. XXXVII.

*An Prælati Regulares poſſint ſubditos ſuos ab hæreſi occulta abſoluere?*

*Et notatur Epiſcopos & Inquiſitores non poſſe ab hæreſi occulta abſoluere?* Ex part. 8. tract. 7. & Miſc. Reſol.50.

Sup. hoc in tribus pręcedētibus Reſ. & in fin. Reſ. ſeq.&c.

§.1. SÆpiùs hanc quæſtionem tractavi, ſed quia illam ſæpiùs P. Baunius pertractat, ad illam ego iterum redeo, & faxit Deus quòd ad hunc ſcopulum aliqui ſuperiores Regulares non naufragentur, quos puto ut alibi obſervavi in noſtro ſacro Tribunali eſſe ſeverè puniendos : itaque Baunius noviſſimè *in part.2. ſuæ Theologiæ Moralis de Cenſuris, diſputat.* 3. *tract.* 2. *quæſt.* 26. me citato contra ſententiam negativam,quam ego mordicus ſæpiùs docui, ipſe inſurgit, eamque improbat, *Primò* quòd authoritati Prælatorum Regularium noceat. *Secundò* quòd eorum ſubditos privet neceſſario ad ſalutem remedio, abſolutione ſcilicet criminis, in quo ex iis labi poſſunt plurimi. Nam quod de Epiſcopis, aut Inquiſitoribus ſanctæ fidei dicitur, ad quos ire, & ab iis impetrare ſolutionem nexus ſui, Regulares poſſunt, etſi aſſeratur veriſſimè, quantis eſt id tamen pervium moleſtiis, quantis & quàm certis expoſitum animæ, ſalutiſque periculis? quæ ſubire, conſultò ac ſcienter, cùm Dei nobis gratiam eripiunt culpa eſt, eaque contra jus naturæ, lethifera. Sed hoc diſcrimen ſponte ij eligunt, qui egreſſi clauſtro, Epiſcopum de abſolutione ſuorum criminum ſollicitatum adeunt,vel enim id ſciente faciunt Prælato, approbante, vel invito,ac ignorante : ſi ſecundum, peccant, cum eo renitente domo egredi,aut ignorante committere ſe itineri,inobedientiæ ſit ſcelus. Si primum, etſi contra regulam, aut obedientiam non delinquant, culpa tamen non ſunt omnino vacui, quòd religioni tali facto ſcandalum ingenerent, bonum ejus nomen, famámque violent. Nam quid facilius, quàm plebi natura ſua ſuſpicaci, eam tum opinionem imprimi, eſſe ab eo grave quidpiam admiſſum, de quo eum ab Epiſcopo abſolui ſit neceſſe?

2. Quæ famæ nominiſque dedecora, ut vitentur, Regulares præpoſitos oportuit ea poteſtate præditos eſſe, quæ ſubditis ſibi gentibus reconciliandis cum Deo & Eccleſia, eſt neceſſaria? Societatis ſanè noſtræ Provinciales ac Generalem, ſuos de hæreſi abſoluere poſſe,ſcribit Ortizius *in ſumma cap.*5. *numer.*29. Peirinus *de privileg. Minimor. tom.*1. *ad conſtitut.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *numer.* 20. quod eis ſpeciali privilegio conceſſum voluit Gregor. ejus nominis XIII. ut eſt in ejuſdem Societat. Compendio §.7.& 8. facultate iiſdem Generali & Provincialibus relicta, ſubrogandi ſibi in caſibus particularibus,non univerſim, tamen ac generaliter; niſi res ſecus exigeret ( de quo ſunt ipſi judices, ac arbitri ) qui ſuo nomine de eo crimine abſoluant.

3. Privilegia verò ſupradicta non eſſe revocata, patet.

*Primò*, quia ea quotannis renovantur ac voce tenus confirmantur à Pontifice, ad inſtantiam Procuratorum cujuſque ordinis, teſtimonio Portelij *in dubiis Regularibus verb. Abbas, num.ult.*

4. *Secundò* per Bullam Cœnæ,quælibet non prohibetur abſolutio caſuum quos continet, ſed ea duntaxat, quæ privilegiorum prætextu datur; ergo cùm prætextus ſit color quæſitus, ut expoſuit Budæus *in leg. illicitas, Dig. de officio præſid. l. ſub prætextu*, Cod. *de tranſact.* vel, ut loquuntur alij, id quod ſub ſpecie veri exercetur, non peccabunt Regulares in Bullam, ſi, cùm abſoluunt de hæreſi, aut caſibus aliis Bullæ occultis,id legitima auctoritate faciunt,& non colore quæſito, aut ſub aliquo velamine : at verum eſt conſequens, nam per privilegia ſibi conceſſa à Pontifice, ejuſdem benignitate tantundem hi poſſunt, quantum ipſe, cùm ſunt ejus ſubdelegati.

5. Quid? quòd Societatis Ieſu Patribus indulſiſſe dicatur Gregor. ejus nominis XIII. anno reparatæ ſalutis 1584. ut per Bullam non cenſeantur eorum abrogata privilegia? ut eſt in Compendio ejuſdem Societat. *in verb. Bulla Cænæ*, §. 2. quod notavit Suar. *de Religione, tom.*4. *tract.*18.*lib.*9.*cap.*20. *num.*18. Portel *in dubiis, verb. Bulla Cœnæ:* data ergo à Gregorio XIII. Religioſis hujus Ordinis, à Pio autem V. Patrum Dominicanorum ſuperioribus, poteſtas abſoluendi ab occulta hæreſi, in iiſdem perſeverat hoc tempore. Hucuſque Baunius.

6. Sed hanc doctrinam prorſus refellendam eſſe puto, nec in praxi admittendam, ut pote de directo pugnantem contra declarationem & mentem Pontificis,ut patet ex infraſcripto Decreto,quod per extenſum apponere decrevi : Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes privilegiorum, quas regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata atque extincta,ſi quæ habeant,abſoluendi à caſibus Ordinario loci reſervatis. Quemadmodum neque indulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit,ut pote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem,vires,aut robur acquiſiviſſe, ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujuſvis Ordinis,Congregationis,Societatis,& inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem ejuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt,poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reſervatis. At ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe,ac fore;ab aliis verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſiquidem Regulares

habeant à Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem S. Congregationis decretis hac de re editis juſſu ſanctæ memoriæ Clementis VIII.quam ſacræ Congregationis ſententiam ſanctitas ſua ad ſe relatam approbavit, mandavítque ab omnibus ad quos pertinet,inviolabiliter obſervari. Romæ 17.Novembris 1628. & licèt noviſſimè Pater Santorius aſſerat privilegia Regulariũ adhuc durare in ordine ad abſolutionem Bullę Cœnæ; tamen fatetur ſuperiores Regulares nullo pacto poſſe abſolvere ab hæreſi occulta;ita ille *in comment.ad conſtitut.Minor.cap.2.ſtat.14 §.1.& §.5. quæſt.5.* cui adde Novarium *in Lucerna Regularium,ver.Hæreſis,n.6.*

7. Ad id verò, quod aſſerit Baunius,Epiſcopos & Inquiſitores poſſe abſolvere ab hæreſi occulta,omninò negandum eſt, & licèt ego *in part.1.tract.5.reſ.3.* dixerim poſſe Inquiſitores ab hæreſi abſolvere, intellexi,ſecundùm Freitam à me adductum, de Inquiſitoribus Hiſpaniæ,ſecus autem de aliis, & ita me intelligit noviſſimè Carena *in praxi S.Officij, part.2.tit.2. numero 61.*

Quæ hic eſt ſup. Reſ. 19. & in alia Reſ.ejus primæ not.

## RESOL. XXXVIII.

*An Regulares poſſint abſolvere ſæculares ab hæreſi occulta?*

*Et infertur Prælatos Regulares non poſſe ab hæreſi ſuos ſubditos abſolvere?* Ex p.6.tr.6.& Miſc.1.Reſol.54.

Sup. conterò in hoc, & duobus §§. ſeqq.inf. in Reſ.ſeq. Sed ne deſeras videre aliũ Reſ.& §§. ejus primæ not.

§.1. AFfirmativam ſententiam docet Crouſers *in Regulam S.Franciſci, c.7.lect.28.fol.771.* ubi ita aſſerit: Dico ſecundò eoſdem Confeſſarios poſſe etiam abſolvere ſæculares à caſibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæreſi: probatur ex conceſſione Vrbani IV. ſuprà poſita in qua concedit dictos Regulares poſſe abſolvere ſæculares ab omnibus,niſi talia eſſent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda:ſed pro hæreſi, niſi illius ſit,qui in hæreſim coram judice competenti abjuratam relapſus eſt, non eſt meritò conſulenda Sedes Apoſtolica,ut ſuperiùs oſtenſum eſt: ergo ab hæreſi poſſunt præfati abſolvere.Probatur ſecundò ex conceſſione Sixti IV. ſuperiùs allegata, per quam dicti Confeſſarij poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus excommunicationis, Ordinario tam à jure, quàm ab homine reſervatis,toties quoties opus fuerit, ſicut poteſt Diœceſanus. Sed hæreſis ſaltem occulta, ſeu in judicium nondum deducta, tam jure antiquo quàm novo Tridentini reſervatur Ordinariis; ergo ſicut hi poſſunt ab illa abſolvere,ita & Confeſſarij ſupradicti, & conſequenter à reliquis Bullæ Cœnæ caſibus.

2. Rodericus nullius momenti exiſtimat eſſe hanc rationem, dicendo, hos caſus occultos non eſſe propriè reſervatos Epiſcopis,ſed eiſdem potius conceſſos jure communi ſpeciali:& propter hanc rationem negat mendicantes id poſſe, confirmátque ſententiam ſuam,quòd in dicta conceſſione per Tridentinũ Epiſcopis facta,exiſtimet induſtriam perſonæ Epiſcopi ad abſolvendum ab hujuſmodi caſibus electam: ex quo infert, non oportere mendicantibus tribuere ſimilem facultatem, eo titulo,quòd à reſervatis Epiſcopo poſſint abſolvere.Sed fallitur:nam verum non eſt Epiſcopis conceſſos caſus occultos, de quibus in Trident. *ſeſſ.24.c.6.* Sed potiùs relictos juri ſuo antiquo,vel eidem reſtitutos,ſecundùm quòd cùm dicti caſus fuerint propriè reſervati Epiſcopis,meritò aſſerimus, mendicantes ejuſmodi facultatem habere: neque in conceſſione per Tridentinum facta poteſt dici perſonæ induſtria electa. Cum enim Patribus Concilij Tridentini incogniti fuerint Epiſcopi, & per illud hæc facultas annexa ſit officio,induſtria perſonæ non poteſt cenſeri electa. Si dicas, ratione dignitatis conceſſam eſſe Epiſcopis dictam facultatem,fateor:non tamen, quia mendicantibus deeſt talis dignitas, neceſſe eſt deeſſe etiam facultatem,cum ex privilegio Apoſtolico illam poſſint habere, & de facto habeant, ut clarum eſt ex privilegiis ſuprà poſitis.

3. Quæ certè non poſſunt cenſeri derogata; neque per Bullam Cœnæ, quoad caſus in ea contentos:quia ſi per dictam Bullam caſus non efficiuntur tales,quòd pro eis meritò conſulenda ſit Sedes Apoſtolica, & quòd ab eis non poſſit abſolvere Diœceſanus ſemper manent abſolubiles virtute privilegij Vrbani IV. & Sixti IV. & hæc quidem ſecundùm antiquiora Regularium privilegia: nam ſecundum recentiora,luce clarius eſt, quòd poſſunt dicti Confeſſarij abſolvere ſæculares ab hæreſi,& reliquis Papæ reſervatis,& conſequenter ab Epiſcopalibus.Hucuſque Crouſers.

4.Sed ſi aliquis hanc ſententiam in praxi deduceret, puto in noſtro Sacro Tribunali ſeverè puniendum eſſe; nam non ſolùm virtute privilegiorum Religioſi non poſſunt abſolvere ab hæreſi occulta ſæculares,ſed nec ipſos Regulares.Et ratio eſt,quia in nullo privilegio,ſeu conceſſione cenſetur data poteſtas abſolvendi ab hæreſi,niſi de illa ſpecialis efficiatur mentio,ut obſervat Sanch *in ſum. tom.1.lib.2.c.11. n.7.* Sanctarell. *tract.de hæreſi, cap.5. dub.1. n. 8.* Avila *de cenſ.part.7. diſp.10.dub.6.* Rodriq.*in Quæſtionib.Regular.tom.1.q.40. art.10.*& alij;unde patet reſponſio ad privilegium adductum Sixti IV.

Sup. hoc inf. in tr. 10. Reſ. 81.ſiguanter ad lin. 4. & hic ſup. in Reſ. 29. §. Reſpondent. &c.

5. Et licèt Hurtadus de Mendoza *de fide,volum.1. diſp.84.ſect.2.§.45.* putet extra Hiſpanienſis Inquiſitions ditionem poſſe Præpoſitum Generalem Societatis IEsu per ſe,vel per alium abſolvere quoſcumque ab hæreſi in foro conſcientiæ vigore cujuſdam privilegij à Sede Romana obtenti:ſed hoc non procedit in Hiſpania,in qua,ut teſtatur ipſemet Hurtadus,nulla religio eo privilegio gaudet. Verùm hodie omnia ſupradicta corruunt ex decreto Sacræ Congreg. rebus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ de mandato Sanctiſſimi Vrbani VIII.ubi habetur abſolvere quempiam à caſibus in Bulla Cœnæ,aut ordinario loci reſervatis non poſſe Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis,Societatis,& inſtituti,etiam neceſſariò exprimendi tam citra, quàm extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem hujuſmodi,quæ vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt.Et ſi ſecus egerint,abſolutiones nullæ ac irritæ erunt.Ita in ſupradicto Decreto.Vnde non eſt admittendum id,quod conatur probare Crouſers *c.7.lect.12.fol.598.* videlicet Prælatos Regulares poſſe abſolvere ab hæreſi ſuos ſubditos; quod noviſſimè docet Stephanus Bauny *in Theolog.Moral.tract.4.q.33.* adversùs quos vide Doctores penes me ipſum *in 3.part.tract.2.reſol.122.* nec aliter ſentiendum.

Sup.hoc ſup. lege ex Reſ. 34.§.Plus. in fin & ex Reſ. 35 §. 1. & partim 2.

Sup.hoc Decreto in Reſ. not.ſeq & in aliis ejus ſecundæ not.

Quæ hic eſt ſup. Reſ. 35. & in aliis ejus primæ not.

## RESOL. XXXIX.

*An Regulares poſſint abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, ſi ſint occulti, etiam quoad hæreſim?*

*Et quid,ſi prædictæ cenſuræ deductæ ſint ad ad forum contentioſum,& licet publicæ ſint?*

*Et in textu hujus Reſ. aſſignantur alij ſex caſus, in quibus Regulares virtute ſuorum privilegiorum minimè poſſunt ſæculares abſolvere, niſi in articulo mortis.* Ex p.11.tr.2. Reſ.18.

§.1. AFfirmativè reſpondet Brunus Caſſaing *de Privileg.Regular.part.1.tract.5.c.3.propoſ.3.* ubi ſic ait: Sacerdos Regularis poteſt abſolvere in foro conſcientiæ, à cenſuris, & caſibus à quibus jure communi, & ex conceſſione Tridentini abſolvere

Sup. hoc in Reſ. præterita.& ſup. ex doctr. Reſ. 33.§.1. curſim in lin. ult. & prope

fin. §. Tertio probatur à verſ. exceptis cenſuris, & ſuperius tn tr. 2. Reſ. 74. §. ult. & in to. 9. tr. 7. ex Reſ. 1. 1. lege doctr. §. Arguitur tertio. & ſeq.

poſſunt Ordinarij: ac etiam probabiliter in foro externo: imò ubi non eſt recepta Bullæ Cœnæ, ab omnibus cenſuris, etiam hæreſis, in eadem contentis in utroque foro abſolvere poteſt, & denique ab illis in foro interiori ubi recepta eſt Bulla, dummodo ſint occulta.

2. Probat hoc ultimum ex communicatione *cap. Liceat ſeſſion. 24. Trident. reform.* quoniam facultas ibi conceſſa ab illis abſoluendi, eſt in perpetuum annexa dignitati Epiſcopali, ac conſequenter jure ordinario competit Epiſcopis, ac proinde Regulari Confeſſario, cùm per ſua privilegia communicet in privilegiis Epiſcoporum quoad facultatem abſolvendi. Accedit quod per talem conceſſionem hi caſus deſinunt eſſe Papales, fiuntque Epiſcopales, ad quos abſolvendos Epiſcopi committere poſſunt. Vnde cùm in caſibus Epiſcopalibus abſolvendis poſſit idem quod poſſunt Epiſcopi; poteſt ab illis abſolvere, & conſequenter ab hæreſi: cum ſit primus ex illis.

3. Hic tamen notabis, teneri Regularem abſolventem hæreticum, hæc quæ ſequuntur obſervare. Primùm extorquere ab Hæretico anathema adverſus hæreſim, quam profeſſus fuerat. Secundùm jurare, quod in poſterum manebit in fide Catholica, ille autem qui abſolvit hæreticum non præmiſſa abjuratione, peccat, valet tamen abſolutio. Ita Brunus; qui poſteà addit, quod poteſt Sacerdos Regularis virtute ſuorum privilegiorum abſolvere in foro conſcientiæ quemcumque ab omnibus antedictis cenſuris irretitum, licet cenſuræ illæ deductæ ſint ad forum contentioſum; & licet publicæ ſint: imò etiam ab illis, à quibus aliquis eſt nominatim denunciatus.

4. Sed quidquid ſit de his, certum eſt quòd Confeſſarij Regulares virtute ſuorum Privilegiorum non poſſunt abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, præſertim quoad Hæreſim, & in noſtro Sacro Tribunali puniretur Confeſſarius Regularis, qui hanc doctrinam ad praxim deduceret. Et idem dicendum eſt, quoad caſus Epiſcopales, nam corruunt quæ dicit Pater Bruno; etenim poſt privilegia in favorem Regularium ab ipſo adducta, tria decreta fuerunt emanata prohibentia abſolutionem caſuum reſervatorum.

5. Primum fuit Clementis VIII. editum die 9. Ianuarij anni 1601. cum ejuſdem Pontificis moderatione facta die 26. Novembris 1602. quo fuit limitata ſupradicta facultas in ſex aliis caſibus (ſed per totam Italiam, extra Vrbem niſi in articulo mortis) nempè Primò, Violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorij XIV. quæ incipit, *Cùm aliàs nonnulli.* Secundò Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem. Tertiò, Provocantium, & pugnantium in Duello juxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Conſtitutionem Gregorij XIII. incipientem, *Ad tollendam, &c.* Quartò, Injicentem violentas manus in Clericos, juxta Canonem, *Si quis ſuadente 17. quæſtione* 4. ac iuris diſpoſitionem. Quintò, Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Sextò & ultimò, in omnibus caſibus, quos Ordinarii locorum ſibi reſervarunt, & in poſterum reſervabunt.

Sup. cōn... in hoc & ... §. in to... 1. Reſ. ... & lege ... à princ... reſolu... nes, & ... ejus p... not. & ... ter in ... lutione ... & §§. ... in ann... Sed p... practica... Reſ.

6. Secundum fuit, Pauli V. editum die 7. Ianuarij 1617. quo confirmatur, & innovatur Decretum ſupradictum Clementis VIII. cum ſua moderatione, non obſtantibus privilegiis, &c. Non autem tolluntur per dictum decretum omnia privilegia Regularibus conceſſa abſolvendi à caſibus, & cenſuris reſervatis, ut aliqui putaverunt, ut manifeſtè demonſtrat noſter Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 1. à n. 29. uſque ad 33 incluſivè.*

7. Tertium fuit Vrbani VIII. editum die 17. Novembris 1628. quo prohibetur Regularibus facultas abſolvendi à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ, & caſibus reſervatis Ordinariis locorum, ita ut nec intra, nec extra Italiam, nec virtute privilegiorum, aut confirmationum, quas hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſint ab illis abſolvere.

Sup. confeſſ. in hoc §. ... ſup. in Reſ. 35. §. ult. & in aliis ejus annot.

8. Ex quibus evaneſcunt à Patre Bruno pronunciata, ut rectè obſervat Marcellinus de Sancto Benedicto *in Compend. Privileg. Fulienſium verb. Abſolutio quoad ſæculares, §. 1. in Scholio.* P. Peregrin. *in Compend. Privileg. Clericorum Regularium eodem verb. & §. cum aliis communiter.*

*In Indice primo hujus tom. 5. lege Apendicem ad hunc tract. 8. ubi reperies alias plures quæſtiones miſtas, & diſperſas per alios tom. tract. & Reſ. quæ ſimul pertinent ad hunc tract. 8. de Hæreſi, & Hæreticis, &c.*

# TRACTATVS NONVS, DE DENVNCIATIONIBVS FACIENDIS EX EDICTO DD. Inquiſitorum, & in particulari ex ſollicitatione facta in Confeſſione.

## RESOLVTIO PRIMA.

*An ſi quis ſciat aliquem commiſiſſe delictum in Edicto contentum, ſed hoc non poſſet probare, teneatur in tali caſu denunciare?*

*Et quid, ſi caſus eſſet de hæreſi formali?* Ex p. 1. tract. 4. Reſ. 1.

§. 1. NEgativè reſpondet noviſſimè ex Societ. Iesu Fagund. *de præc. Eccl. tr. 2. lib. 4. c. 3. n. 31.* excepto caſu hæreſis formalis. Et hanc ſententiam abſolutè docuerat

Sup. hoc Reſ. ſeq. & tom. 7. tr. ex doct.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN